


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
13
16 A
33

NICOLAI VIGELII IVRISCONSVLTI



METHODVS DVPLEX

duorum commentariorum seu librorum Andreæ Tiraquelli de utroq; Retractu, municipali & conuentionali.



ACCESSIT PRAEFATIO apologetica, necnon Dialogus de Romana Iurisprudentia recuperanda, et oratio de summo bono, eiusdem Authoris.




Ex legato Ant.mi Coccini

Cum Cæs. Maiest. & Regis Galliarum gratia & priuilegio.

BASILEAE, TYPIS Oporinianis. 1586.

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES AC Dominos, Dominū GVLIELMVM & Dominum LVDOVICVM, fratres, Landtgrauios Haſsiæ, Comites in Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain & Nida, Dominos ſuos clementiſsimos,



NICOLAI VIGELII Iuriſconſulti Præfatio Apologetica.



HILTENIVS quidam, Illuſtriſsimi atq; Clementiſsimi Principes, ante annos cētū (referente Philippo Melāchtone [redacted]) prædixit, anno milleſimo ſexcenteſimo Turcas per Germaniā & Italiam regnaturos eſſe. Quod ipſius uaticinium probabile reddunt tum Turcarū medio tempore res geſtæ, tum tur-

bulentus occidentalium regnorum status, tum deniq; summa in ijs & iuris & religionis incertitudo. Causam tantorũ malorum ac mutationum nemo intelligit, quæ sit admirantur omnes, eaq́; sub aspectu latet. Iuuẽtutis institutio ad Rerumpublicarum & incrementum & interitum magnam uim habet. Vnde Aristoteles lib. 8. Politicorum, in prin. censet, Adolescentũ disciplinæ atq; educationi ab ijs qui Rebuspublicis præsunt, inprimis esse consulendum. Cum enim Scholæ Rerumpublicarum sint seminaria, ex quibus uiri prudentia & iusticia excellentes ad Rempublicam prodire debebãt: sequitur, Scholis corruptis, corruptũ quoq; Reipublicę statum inde effici. siquidẽ ex semine malo fructus boni produci non possunt. Cum duplex sit differendi ratio, quarũ una in inueniendo, altera in iudicando cõsistit, priorẽ illam Academici quondã philosophi, posteriorẽ Stoici potissimùm sunt amplexi. Nam Academici inuentione, Stoici contrà iudicio excelluerunt. Hinc Academica philosophia Eloquentiam peperit, quæ de quacunq; re in utranq; partẽ probabi-

probabiliter differit, & iudicium suspen dit. Contrà Stoica philosophia peperit Iurisprudentiam, quæ de inuentis atque propositis rectè iudicat. Eloquentia lites mouet, omniaq; suo acumine facit incer ta: Iurisprudentia motas lites iusto iudicio definit, & ex incertis certos dimittit, ne temerè res tractet turbidas, ut Ennius scribit. Illa turbas ac seditiones in Rebus publicis excitat: hæc ius fidemq; in moribus hominum cõseruat, statumq; Reipublicæ tranquillum constituit. Ex quibus manifestum est, alium atq; aliũ Reipublicę statum existere, si uel Academica, uel Stoica philosophia iuuentus in scholis imbuatur. Vtriusque exempla ex ueteribus historijs adduci possent: sed res Turcicæ & Christianorũ satis abundè exemplorum nobis suppeditant, ut ueterum exemplorum non egeamus. Quondam enim Saraceni, orientis populi, animaduertentes oratorum conten tiones plus habere subtilitatis quàm utilitatis, eorumq; perpetuis dissidijs omnia turbari, è scholis suis Eloquentiæ & Academicæ philosophię studium explo derunt, & pro eo Iurisprudentiæ Stoi-

cæq; philoſophiæ ſtudiũ fouerunt, certo iure in medio conſtituto, ſecundum quod iuuentus cauſas & controuerſias hominum certò ac conſtanter dijudicare addiſceret magis, quàm perorando ac diſputando omnia litibus miſceret. Quã rationẽ ſecuti Turcæ, ad hunc uſq; diem oratores uilipendunt, Iuriſconſultos contrà in magno habent precio. Vnde Imperium habent florentiſsimũ, quod omnibus alijs Imperijs ac regnis eſt terrori. Contrà uerò in Scholis Chriſtianorum Academica philoſophia floret, Stoica exploſa. Hinc Eloquentiæ multum, at parum prudentiæ ad Reſpublicas è ſcholis Chriſtianorũ ſuppullulat. Nã (ut primùm de prudentia dicã) cũ in omnibus iudicijs excipi, replicari, duplicari, triplicari ſoleat: nemo tamen, quæ cuiuſq; iuris ſint exceptiones, replicationes, uel duplicationes, in ſcholis uel legit, uel audiuit unquã: cumq; Iuriſprudentia in iudicando magis quàm in perorãdo ac diſputando conſiſtat, nemo eſt qui uel prima iudicãdi principia intelligat: cũq; litis conteſtatio omnium confeſsione iudicioru m ſit fundamentũ, nemo eſt qui,
quid

quid litis conteſtatio ſit, uel quomodo lis ſit conteſtanda, ſciat: adeò ab ipſo iudiciorum fundamento erratur. Vnde nõ mirum, decem uel uiginti annis in una cauſa procedi, quæ uel uno menſe, imò interdũ uel primo die expediri poſſet. Ars enim facilitatem, non difficultatem parit. Hinc non mirum, litibus omnia compleri tribunalia, odiá inter homines exacerbari, & publicam pacem diſſolui. Sed hæc exigua ſunt præ ijs quæ nunc dicam. Tolerandum hoc eſſet, ſi iuuentus nihil prudentiæ, nihilq; iudicij ad Reſpublicas è ſcholis adferret. Siquidẽ multi ſine inſtitutione, uel ſola naturæ bonitate adiuti, facilius certiusq; de cauſis & controuerſijs hominum iudicare ſciunt, quàm oratores, quorum omnis uis uirtusq; in lingua ſita eſt. Quæ experientia ſunt notiora, quàm ut probatione indigeant. Quòd uerò iuuentus in Scholis in Eloquentię ſtudijs ac diſputationibus, antequam iudicium adquirat, inſtituitur & exercetur, illud omnium peſsimũ eſt. Siquidem hæc unica eſt cauſa, quòd nec ius, nec religionem amplius certam habeamus. Iuuentus enim in

Scholis assuefacta omnia in utranq; partẽ acutè & subtiliter disputare, omniaq́; dicendo subuertere, uanos inde contrahit mores, facileq́; uel in hanc, uel in illã sententiam, utilitatis aliqua spe oblata, prolabitur, omne animi sensusq́; iudicium aspernata, ipsam ueritatem ac iustitiam susq; deq; habens. Quod prospiciens Plato, philosophorum princeps, noluit iuuenes ante trigesimum annum, & sic nondum corroborato iudicio, in disputationibus dialecticis exercendos esse, ob dictam causam, ne leues fierent ac inconstantes, omnia in incerto collocantes. Hæc est ratio, quare interpretes iuris non solùm alij ab alijs, sed etiam ijdem sæpe à seipsis dissentiant, & nunc hoc, nunc aliud in suis responsis defendant. Hinc Andreas Tiraquellus, Iurisconsultus multæ lectionis & magni iudicij, cuius de duplici retractu Commentarios hoc libello in ordinem redegi, non uno in loco suo Commentariorum exclamat, nihil in nostro iure esse, quod nõ sit controuersum. Quæ sanè res uel sola Rebuspublicis exitio esse potest. Siquidem frustra cõtrouersijs hominum decidendis

cidẽdis adhibetur ius illud, quod ipſum eſt cõtrouerſum.& ut in prędio, acie turbata, magna datur hoſtibus ad uictoriá occaſio: ſic certo iure de medio ſublato, magna hoſtibus Imperij ſubuertendi occaſio eſt atq; opportunitas. Hæc de iure dixi, quæ quamuis per ſe ſint magni momenti, & à magiſtratibus minimè negligenda: reſpectu tamen eorum, quæ de religione nunc dicam, ſunt exigua. Nam eſt certa ratio, qua nos ex iure controuerſo extricare poſſumus, quam alio loco monſtraui. Religionis autem negociũ, quod ex Academica diſputandi licentia originem trahit, quot turbas, quantas ſeditiones, & quàm peſtifera bella in Romano Imperio per aliquot ſecula excitauerit, & ad hũc uſq; diem excitet, quis eſt qui ignoret? De uarijs Chriſtianorũ diſsidijs, quæ olim fuerunt, nihil dicam: de ijs quæ nunc ſunt, pro rei magnitudine pauca dicam. Sũt Chriſtianorum alij Papiſtæ, alij Lutherani, alij Caluiniſtæ, alij Anabaptiſtæ, alij alterius ſectæ, qui adeò capitalibus odijs inter ſe diſsidẽt, ut quiſq; citius uel totius Reipublicę machinam diſſolui pateretur, quàm in alte

rius sectæ sententiam pedibus iret, se suamq; sectam ad cœlum euehens, & alterius sectę homines ad gehennam deprimens. Quanquam nec inter eiusdem sectæ homines satis conuenit. Nam Papistæ in tot ordines distincti, suas inuicem habent factiones: & Lutherani omnes non per omnia idem sentiunt. Anabaptistæ quoq; & aliæ sectæ eodem uitio laborant: & (ut liberè dicam quod sentio) si duo sunt oratores Ecclesiastici unius ciuitatis, qui non tertium habent cum quo contendant, ipsi inter se rixas & iurgia mouent, & non rarò ciues inter se cõmittunt, aut subditos contra magistratũ suum concitant: quę scribere non auderem, nisi lippis tonsoribusq; essent nota. Tales homines Academica disputandi licentia, ac perorandi studium, quod Christiani in Scholis suis fouent, producere solet. Istis autem pessimis suis moribus prætexunt dictum Christi hoc: Nõ ueni ut pacem adferã, sed gladium. obliti alterius dicti, seu præcepti potius: Diligite uos inuicem, ut homines intelligant uos esse discipulos meos. Inter tot autem tantasq; dissensiones Christiano
rum

rum nemo ferè eſt, qui de ſalute animæ ſuæ non periclitetur. Quamcunq; enim ſectam quis ſequatur, ab alijs diuerſarũ ſectarum cultoribus ad gehennam damnatur. Quòd ſi quis ad illud periculum euitandum nulli ſectæ ſe addixerit, is ſtatim audit, Oportere hominem Christianum de fide ſua certum eſſe, nec in fide fluctuari, aliâs eum diaboli eſſe mancipiũ: & ſic rurſus damnatur ab omnibus. Hic opus eſt bono cõſilio, quo iſtud animæ periculum effugiamus. Etſi autem ſcripta prophetica & apoſtolica certa huius periculi euitandi regula eſſe uideantur: tamen cum hæc ipſa alij aliter interpretentur, nec cuiuſuis ſit de interpretũ diſſentientibus opinionibus rectè iudicare: mihi quidem ad ius fidemq́; in moribus magis uidetur reſpiciendum. Cũ enim omnis religio eò ſit dirigenda, ut ius fideſq́; in moribus hominũ retineatur: meritò illorum doctrina ſuſpecta debet haberi, qui ipſi ius fidemq́; uilipendunt. Quanquam nõ ignoro, potius doctrinam rectam, quàm uitam docentiũ, eſſe ſpectandam. Sed hoc de doctrina certa & minimè controuerſa accipiendum

dum eſt. Quoties autē doctrina eſt controuerſa, & in utranq; partem probabiliter diſputatur, doctrina quæ ipſos docentes non facit meliores, mihi quidem ſuſpecta eſt, maloq́; periclitari cum ijs qui ius fidemq́; curāt, quàm cum ijs qui nil niſi religionem uerbis crepant, factis tamē & moribus ipſis gentibus ſunt deteriores. Homines enim gentiles uirum bonum definierunt eum, cui ius fidesq́; curæ ſit: nullamq́; capitaliorem iniuſticiam eſſe, quàm eorum qui cum maximè fallunt, id agunt ut uiri boni eſſe uideantur. Qui igitur ius fidemq́; non curat, nec uir bonus eſt, nec uerè Chriſtianus. Nam omnes Chriſtianorum ſectæ in eo unanimiter conſentiunt, fidem iuſtificantem non magis ſine bonis operibus eſſe poſſe, quàm corpus in medio ſole ſine umbra. Et Chriſtus ipſe iubet ex fructibus ſumere iudicium. Quæ autem bona opera, qui fructus boni eorum eſſe poſſunt, qui nec ius, nec fidem curant? Credo itaq; firmiter, quamuis non omnis qui ius fidemq́; ſeruat, fidem iuſtificantem habeat, nec corā Deo iuſtus ſit: tamen eum qui ius fidemq́; non curat,

nec

nec uirum bonum esse, nec fidem iustificantem habere: & si omnino inter tot sectas Christianorum de salute animę periclitandum est, magis cũ ijs periclitandum, qui ius fidemq; seruãt, quàm cum ijs qui labijs solùm religionem crepant, corde autem nihil religionis habẽt, sed suis affectibus prauis inseruiunt, iure iusticiaq; ciuili neglectis. In qua fide id etiam me confirmat, quòd Deus partes Turcarum, qui Iurisprudentiã Eloquentiæ anteponunt, ac ius fidẽq; in suis Rebuspublicis conseruant, magis foueat, quàm Christianorum, qui ijs neglectis, oratorum persuasionibus nunc huc, nũc illuc impelluntur, & in uarias distrahuntur sectas. Nam Turcæ legibus, Christiani oratoribus reguntur, qui solam Eloquentiam & disputandi subtilitaté spectantes, Iurisprudentiam simul & iusticiam naso suspendunt. Clericos & monachos magis de sua potentia augenda, quàm de salute animarum fuisse sollicitos, euentus docuit. Hi eloquentiæ technis Imperatoribus atque principibus ab initio se insinuarunt, eosq; suis assentationibus obcæcarunt, ut posthabitis

Iuriscon-

Iurisconsultis, oratores Ecclesiasticos in summo haberent honore atq; precio, & præmia quæ Iurisprudentiæ debebantur, Eloquentiæ detulerint. Sed cum inter oratores constans pax & concordia esse nequeat, ipsos principes inter se cõmiserunt, quemadmodum in hunc usq; diem eos inter se committunt: tumultus, seditiones ac intestina bella in Imperio Romano excitarũt, quemadmodum ad hunc usq; diem excitant: studioq; ius Romanum, cui Imperatores ac Principes iurati fuerunt, & in quo forma Imperij Romani consistebat, qua potuerunt ratione labefactarunt, mutarunt, & tandem in totũ abrogare sunt conati. Quibus artibus suam potentiam adeò auxerunt, ut non modò principibus pares, sed etiam superiores euaserint, ipsosq; Imperatores cum Principibus sibi subiecerint: acciditq; Imperatoribus ac Principibus id quod fabulę narrãt de Actęone, qui cũ cornua nactus esset, à proprijs canibus est dilaceratus. Sic etiam Imperatores ac principes oratorum adulationibus cornua nacti sunt, & in bruta animantia uersi, atq; à proprijs canibus dilacerati.

lacerati. Hinc Alciatus Iurisconsultus in suis emblematibus ludit his uerbis:

En nouus Actæon, qui postquam cornua sumpsit,
In prædam canibus se dedit ipse suis.

Ex his, quanta clericis ac monachis iuris & iustitiæ ciuilis cura fuerit, facilè apparet. Etsi autem Lutherani oratores à Papistarum doctrina plurimum discrepent, moribus tamen ijs non esse dispares, deq; certo finitoq; iure non esse sollicitos, imò illud quodammodò abominari, uel meo exemplo docere possum. Licet enim iter ad certam finitamq; Iurisprudentiam, antea incognitum & obsoletum, multis testantibus aperuerim, studiaq; iuris pro mea uirili adiuuerim: tamen non nisi calumniæ & obtrectationes à nostris Lutheranis oratoribus mihi sunt expectandæ, adeò omnia mea dicta factaq; captant, quò aliquam me calumniandi, nomenq; meum sugillandi ansam arripiant: & si quis ipsis ius obiecerit, statim audit, Quid ad nos ius uestrum? quasi ipsi cum Imperatore legibus sint soluti, iuraq; in scrinio pectoris sui habeant. Quod uitium omnibus oratoribus cuiuscunq; sectæ commune esse

ſe animaduerto, ut leges dare, non accipere uelint: nihilq́; tam firmum in iure ſit, quod ipſi dicendo ac diſputando, ſi ingenij neruos intendant, non poſsint ſubuertere. Non ergo mirum, cum eiuſmodi homines moribus regendis ac iuri dicendo nũc præficiantur, ius fidemq́; in moribus hominum in tantis de religione contentionibus prorſus euaneſcere. Cuius exemplum ætas noſtra ſuperioribus annis uidit in omnibus hiſtorijs inauditum. Quæ enim tanta perfidia unquam accidit, ut milites accepta pecunia ducem ſuum hoſti tradiderint? At tantam perfidiam ætas noſtra ſuperioribus annis Bonnę eſt experta, & quidem in ea gente, quæ in omnibus hiſtorijs laudem fidei ac cõſtantiæ præ cæteris gentibus eſt conſecuta. Itaq; meritò cum Phyllide Ouidiana exclamare noſtris tẽporibus licet: Iura, fides, ubi nunc? Tales mores inoleſcere ſolent, cùm iure fideq́; poſthabitis, de religione acutè ſubtiliterq́; magis quàm utiliter diſputatur. Amo igitur prudentem potius ſimplicitatem, amicam legibus, quàm callidam & captioſam loquacitatem: atq; ab

omnibus contentionibus quæ plus subtilitatis quàm utilitatis habent, abhorreo: assentiorq; Iurisconsulto, qui dicit, Verecundam cogitationem eius qui lites execratur, non esse uituperandam. Sentio itaque cum ijs Christianis, qui articulis fidei, quos Ecclesia unanimi consensu approbauit, contenti, simpliciter ambulant, & ijs quę de religione maiore subtilitate quàm utilitate disputãtur, posthabitis, ius fidemq; in moribus hominum conseruandam existimãt. Cum ijs malo animã meam periclitari, quàm cum contentiosis oratoribus, qui summa imis miscẽtes, ius fidemq; floccipendũt, suisq; cõtentionibus eò rem deduxerũt, ut nec ius nec religionem amplius certam habeamus. Quos mores Rerumpublicarum mutationes necessariò consequuntur. Nec dubito, inter omnes Christianorum sectas tales adhuc reperiri, qui istam fidem mecum sequantur, malintq; oratorum rixas ac contentiones à Principibus coërceri quàm foueri. Breuiter, uestris Celsitudinibus, Principes illustrissimi atq; clementissimi, meã fidem sum confessus, exemploq; Turca-

rum & Christianorum ostendi, quantũ interfit, utrum iuuentus in scholis Stoica, an Academica philosophia imbuatur: Iurisprudentia, an Eloquentia instituatur. rebusq; Christianorũ melius con suli non puto, quàm si Academica dispu tandi licentia explosa, studioq; Eloquẽtiæ posthabito, ita Scholas suas reforma rent, ut tam doctrina quàm exercitatio iuris scholastica forensibus actionibus non deprauatis esset accommodata: & iuuentus de causis & controuersijs hominum certò ac constanter potius iudicare addisceret, quàm acutè ac subtiliter perorando ac disputando litibus omnia miscere adsuesceret, magisq; honestati quàm loquacitati, cuius comes uanitas est, studeret. Sic enim tandem futurũ esset, ut è Scholis ad Rempublicã uiri prudentia iusticiaq; excellentes prodirent, per quos ius fidesq; in moribus hominum retineretur, & pax atq; concordia publica recuperari posset. Cum autem magnum ad hanc rem meis lucubrationibus sub uestro fœlici auspicio adiumẽ tum attulerim, & Eloquentia omnibus occidentalibus regnis ac Rebuspublicis

suspecta

ſuſpecta ſit facta, uetusq; extet uaticiniũ, Anno, &c. octuageſimo octauo magnã rerum mutationem futuram eſſe: mihi quidem perſuaſum habeo, eo anno Eloquentiam Iuriſprudentiæ Romanæ regno ceſſuram, aut Mahometicam Iuriſprudentiam, iuxta dictum Hiltenij uaticinium, utranq; è regnis occidentalibus deiecturã eſſe. Nam omnes uiri prudentes hoc ſibi perſuaſum habent, iſtum rerum ſtatum, qui nunc eſt, non diu duraturum: & oratores Eloquentiæ ſuæ, quam ſub ſpecie religionis ac Iuriſprudentiæ plurimi uenditant, metuere incipiunt, meamq; Iuriſprudentiam habent ſuſpectam, ut mihi uerendum ſit, ne Celſitudines ueſtras in mei indignationem commoueant. Ne autem tale quid ab ijs mihi contingat, ueſtras Celſitudines occaſione huius præfationis duxi interpellandas, breuiter & fidei meę & ſimultatis ratione expoſita, ſperãs ueſtras Celſitudines renaſcenti Iuriſprudentię Romanæ in fauorem Eloquentiæ, quæ ſub religionis prætextu omnia ferè occidentis regna atq; Reſpublicas turbat, & ſub Iuriſprudentiæ prętextu omnia ferè tri-

bunalia litibus replet, non restituras esse. Et sanè, si Romanæ Iurisprudentiæ in uiris armatæ militiæ nulla spes sita est, iĳq; malunt Eloquentiæ quàm Iurisprudentiæ partes tueri: de Imperio Romano actum est, ac Mahometicæ Iurisprudentiæ ad occidentis regna occupanda iter apertum. Mihi quidem persuasum habeo, Deum, antequam tantam mutationem, de qua Hiltenij uaticinium extat, sit inuecturus, uoluisse causam istius mutationis, eiusq; remedium tam Italię quàm Germaniæ innotescere, periculũ facturus, an aliqua gens occidentis afflictæ Romanæ Iurisprudentiæ contra fucatã Eloquentiam sit succursura. Ad librum hunc quod attinet, quia causæ retractus tam municipalis quàm conuentionalis frequentes sunt in foro, nec materia ista uberius & maiore cum iudicio à quoquã est tractata, quàm ab Andrea Tiraquello Iurisconsulto: ideo eius de hac re Cõmentarios in Methodum contraxi: quam Methodum uestris Celsitudinibus ea, qua decet, reuerentia dedico, simulq; me meaq; studia uestro patrocinio commendo.

METHODVS LIBRI PRIMI, DE RETRACTU MUNICIPALI.

PARTITIO LIBRI primi.



N primo Commentario seu libro de retractu municipali, Andreas Tiraquellus, uir multæ lectionis & magni iudicij, describit actionem, quæ re aliqua extra familiã uendita, uel per æquipollentẽ contractum alienata, uenditoris cognatis datur ad rẽ alienatam, oblato emptori precio, in familiam retrahendam. Vnde Retractus *appellatur: descẽditq́; ex iure municipali, seu speciali alicuius loci statuto uel consuetudine, unde appellatur* Municipalis. *Describitur autem hæc actio per duodecim locos principales. Primus est de iure, quo actio proposita subsistit. Alter de genere huius actionis. Tertius continet simile huius actionis, cuius naturam hæc actio imitetur. Quartus causam huius actionis cum suis exceptionibus cõplectitur. Quintus personas, quibus actio proposita competat. Sextus personas eorum aduersus quos competat. Septimus personam procuratoris, per quem competat. Octauo defini-*



tur, ubi & apud quem iudicem hæc actio competat? Nono, quid quantumq́; in ea ueniat petendũ. Decimus locus definit tempus huius actionis, quando nimirum & quamdiu hæc actio competat. Vndecimus enumerat antecedentia & adiuncta huius actionis, seu solennia officia actoris, in quibus modus actionis continetur. Postremo enumerãtur eius euentus & consequentia. Quo ordine seruato, naturam huius actionis ob oculos ponam.

I. DE IVRE PROPOsitæ actionis.

I. *Ius huius actionis dicitur commune esse multis ciuitatibus, in præfatione, num. 1.*

II. *Nomina huius iuris enumerantur in d. præfat. num. 2. cum sequentibus. Appellatur autem illud* Ius protomiseos. *d. num. 2. item* Ius congrui. *ibidem num. 3. item* Præsentatio & oblatio. *d. num. 3. uers. statutum autem. item* Ius recomptæ, *quasi recuperatio, uel recomparatio. ibidem num. 4. item* Retractus. *ibidem num. 5. Hinc & uerbum* Retractandi *sumptum. ibidem num. 6.*

III. *Rationes huius iuris enumerantur ac disputantur d. præfatione, num. 7. cum sequentibus, usq; ad num. 56. ubi primùm dicitur ius hoc legibus* Mo*saicis consentaneum. d. num. 7. non tamen ob id iuris diuini esse censetur. ibidem num. 8. cum quatuor sequentibus. Item approbatur hoc ius pontificio*

iure. ibidem num. 13. ualetq́; statutũ prohibens uendere extraneo. ibidem num. 14. cum sequente. nec damnatum est ius retractus per l. dudum. C. de contrah. empt. uel alias leges iuris ciuilis. ibidem num. 16. cum sequentibus. ubi tamen hoc controuertitur, & num. 61. ibidem dicitur, ius hoc esse contra ius commune: ex quo etiam infertur, illud esse odiosum ac restringendum. de quo j. proximè dicetur.

IIII. *Ius hoc retractus odiosum dicitur ac restringendum, non fauorabile, nec extendendum, d. præfatione, num. 56. cum sequentibus, usq; ad num. 60. ubi hoc quidem controuertitur, magis tamen approbatur.*

II. DE GENERE HVius actionis.

I. *Actio est personalis in rem scripta. §. 8. gl. 5. num. 6. cum duobus sequentibus.*

II. *Actio est stricti iuris. In præfatione num. 62. & §. 35. gl. 1. tota. ubi etiam strictum ius quid sit, declaratur.*

III. SIMILE HVIVS actionis.

Actio hæc cum suo iure per omnia ius successionis sequitur. §. 1. gl. 9. num. 81. et §. 13. gl. unica, num. 1. item §. 14. gl. 1. num. 1.

IIII. CAVSA HVIVS actionis cum suis exceptionibus.

Si cognatus actoris rem aliquam uendidit, uel alio simili modo alienauit: cōpetit actori actio proposita ad rem oblato precio retrahendam. §.1. Competitq; ius hoc retractus à tempore factæ uenditionis, non oblationis. Quanquam hoc controuertitur §.1. gl.9. num.106. item lib.2. §.1. gl.7. num.37. cum sequente. Planè propositæ causæ plures sunt exceptiones, partim ex uenditoris, partim ex emptoris persona, partim ex re uendita, partim ex alijs huiusmodi circumstantijs desumptæ, quas ordine recensebimus. Quòd igitur ad personam uenditoris attinet, ex ea exceptio sumpta hæc est; Si is sit basthardus, uel non legitimè natus. huius enim cognati ad retractum rei uenditæ non admittuntur. §.1. gl.8. num.7. uers. ubi etiam dicit à contrario. Hæc exceptio replicationem recipit in liberis basthardi legitimè natis. his enim ius retractus non denegabitur. d.gl.8. num.9. uers. & è diuerso. Sed & si basthardus sit legitimatus, non solùm ipsius liberis, sed etiam cæteris eius cognatis actio competit. d.gl.8. num.12. in fine. Prætereà Veneti ex consuetudine eximūtur, ut liberè poßint sua bona uendere, nec illorum propinquis ius retractus concedatur. in fine libri, num.61. ubi, utrum idem priuilegium

1. Except. (margin, beside "ris attinet")

2. Except. (margin, beside "tit. d.gl.8.")

legium Triuisanis quoq; competat, controuertitur. Illud non interest, utrum cognatus actoris ipse suā rem uendat, an alij uendenti consentiat, uel uenditionem ab alio factam ratam habeat. nihilominus enim actor eius cognatus ad retractum admittitur. §.1.gl.2.num.58. gl.9.num.107.cum num.sequente: & num.247. cum sequente. Vtrum uerò idem dicendum sit, si non ipse, sed hæres eius, qui cum beneficio inuentarij hæreditatem adijt, rem hæreditariam uendiderit, controuertitur §.1. gl.1. num.5. Quemadmodum etiam controuertitur, si res ab alio uendita, ab emptore sit usucapta. de qua re dicetur ī.except.38. Sed nec illud interest, utrum clericus, an laicus res suas uendat. nam etiam clericorum uendentium cognatis hoc ius non denegabitur. §.1.gl.1.num.6. & gl.13. num.11. cum sequente. Quamuis item uenditor sit alterius prouinciæ, quæ hoc iure non utitur: dicendum nihilominus eius cognatis ius retractus competere: siquidem consuetudo loci, in quo res uendita sita est, nō consuetudo loci, cuius est uenditor, spectatur. §.1.gl.1. num.1. Hæc de uenditoris persona sint dicta.

3.Except.reprobatur.

4.Except.reprobatur.

5. Except.reprobatur.

Quod uerò ad personam emptoris attinet, consuetudo retractus simpliciter quidem loquitur de emptore, quasi quilibet emptor, quis qualisue is fuerit, teneatur rem emptam precium offerenti cognato cedere. §.1.gl.13.num.1. Ideoq; non distinguitur,

6.Except.ex persona emptoris desumpta.

7. Except.reprobatur.

tur, utrum clericus, an laicus: Ecclesia, an prophanus emerit. Quanquam hoc controuertitur d.gl.13. num.2. cum quinq; sequentibus. 8. Except. reprobatur. *Sed nec distinguitur, utrum minor, an maior ætate: pubes, an impubes emerit. d.gl.13. num.13.* 9. Except. reprobatur. *Quamuis item emptor alterius prouinciæ sit, quæ hoc iure non utitur: adhuc dicendum, retractui locum esse. §.1. gl.1. num.4.* 10. Except. reprobatur. *Quemadmodum etiam ei locus est, licet usufructuarius rei proprietatem emerit. §.1. gl.7. num.62.* 11. Except. *Contrà tamen, si proprietarius usumfructum rei emerit: exceptione aduersus actionem propositam defenditur. d. gl.7. num.60. quemadmodū & si res emphyteutica domino directo uendita sit. nam & hoc casu retractui locus non est. §. 1. gl.3. num.3. uers. sed id tamen. quod in domino, cui feudum uenditum est, non obtinet, per ea quæ habentur in tráctatu feudali meo cap.5. quæst.1. causa 34. in fine, replicat. generali 2. dupl.3. de qua tamen re uide etiam* ꝫ*. except.30.* 12. Except. *Sed & si proximiori cognato res uēdita sit, remotioribus cognatis actio denegatur. §.11. gl.6. num.20.* 13. Except. reprobatur. *Si uerò remotiori cognato res uendita sit, proximiores cognati ad retractum admittuntur: nisi consuetudo in contrarium extet. d.§.11. gl.5. num.1. & gl.6. num.6. cum tredecim sequentibus: ubi hoc controuertitur, sed magis approbatur.* 14. Except. *Illud maius dubium est, Si emptor non sit remotiori, sed eodem gradu cognationis*

tionis cum actore, an actori actio sit deneganda? quod controuertitur, & in dubio relinquitur, d. gl.6.num.20.cum quinq; sequentibus: & d.§.11.gl. 7.num.1.cum sequēte. Sed & posito eo, quòd actor hoc casu ab emptore, qui eiusdem esset gradus, non excludendus, sed pro rata admittendus esset: rursus dubitatur, si emptor nolit esse in communione, sed aut totum prædium emptum actori cedere precio recepto, aut totum retinere, actor autem non nisi pro rata retrahere uelit: utrum emptori, an actori gratificandum sit? quo casu pro emptore d. gl.7. num.3.cum sequente respōdetur. Quid autem hoc, Pro rata, significet, item quibus modis sumatur, declaratur d.§.11. gl.8. num.1. cum duobus sequentibus. Præterea si quis ex pacto retrouendendi rē 15.Except.
redemerit: dicendum, cognatis ius retractus denegandum esse. lib.2.retractus. §.1. gl.7. num.1. cum sequentibus, usq; ad num.18. Nisi pactum retrouendendi nō in continenti, sed ex interuallo fuisset Repl.1.
adpositum.d.num.18.cum quinq; sequētibus. Vel nisi certo tempore in pacto retrouendendi adiecto, Repl.2.
post tempus illud res fuerit redempta. hoc enim casu cognatis eius à quo res redimitur, actio non erit deneganda, quamuis tempus illud postea fuisset ab emptore prorogatum, præsertim eo iam elapso. nā tempus prorogatum dici propriè non potest, quod est elapsum. d.gl.7. num.24. cum sequente. De

tempore

tempore nondum elapſo, an id conſenſu emptoris & uenditoris redimentis in præiudicium cognatorum prorogari poßit, controuertitur, magisq́; negatur d.gl.7.num.26.cum ſequētibus, uſq; ad num. 41. Si uerò admittatur, tempus nondum elapſum in præiudicium cognatorum prorogari poſſe: non intereſt, quamuis prorogatio iſta fiat in ultimo momento primi temporis nondum finiti, etiam noctu. d.num.41.cum num.ſequente. Plura de exceptione
16.Except. *propoſita dicentur j.except.47. Poſtremò ſciendum, retractui locum non eſſe, ſi rex uel ſummus Princeps rem aliquam emerit. §.1.gl.13.num.38.cū num. ſequente. Hæc de altero etiam genere exceptionum, ex perſona emptoris deſumptarum, ſint dicta.*

Res quoque uendita excipiendi materiā contra actionem propoſitam ſuppeditat: quod tertij generis loco notandum. Nam plurimum intereſt, quæ qualiſue res uendita ſit. Primùm enim ius retractus in fundis tantùm & alijs rebus immobilibus, item in ijs quæ immobilium numero habentur, uti ſunt ſeruitutes & annui reditus, locum habet, non etiam in rebus mobilibus. §.1.in prin. Quid autem fundus
17.Except. *ſit, declaratur §.1. gl.4.num.1. Si igitur res mo-*
Repl.1. *bilis uendita ſit, retractui locus non eſt. §.25. Niſi res mobilis immobili rei uenditæ acceſſerit. tunc enim cum re immobili uendita retrahi poteſt. d.§. 25.gl.*

25.gl.1.num.unico.& §.1.gl.7.num.82.& num.86. item num.99. Idem dicendum uidetur in mobilibus preciosis uenditis, ut in ijs, quamuis sine re immobili uendita sint, ius retractus locū habeat. quod tamen controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.7. num.100. cum duobus sequentibus. Quemadmodum & hoc, Vtrum machinis bellicis castri uenditis, locus sit retractui? cōtrouertitur, magisq; reprobatur d.gl.7.num.96. cum tribus sequentibus. Sic etiam de pecunia ad comparationem prædiorū destinata dubitatur, utrum mobilibus, an immobilibus sit connumeranda? d.gl.7.num.103.cum nouem sequentibus. ubi tandem concluditur, hanc quæstionem, quoad retractum, esse inutilem, quòd pecunia non ematur, nec uendatur. Idem dubitatur & concluditur de pecunia ex uenditione rei immobilis redacta, d.gl.7.num.113. item §.32. num.10. in fine: & num.13. Item de pecunia in banchis posita, d. gl.7. num.114. De columna itidem domui affixa, posteaq; separata & uendita, cæterisq; rebus ita in domo positis, ut perpetuò ibi manerent, controuertitur, Vtrum in ijs tanquam immobilibus retractui locus sit, an mobilibus sint connumerandæ, ut retractui in ijs locus non sit? d.gl.7. num.115.cū num. sequente. ubi author posteriorem sententiam amplectitur. De piscibus quoq; in piscina, stagno, uiuario uel lacu adseruatis: necnon de columbis quæ

Repl.2. Repl.3. Repl.4. Repl.5. Repl.6. Repl.7. Repl.8.

sunt

ſunt in columbario, & de cuniculis qui ſunt in garenis, idem quæritur, Vtrum inter mobilia, an inter immobilia ſint connumeranda? Sed nihil concluditur, remißione tantùm ad authores, à quibus hæc
Repl.9. *quæſtio tractatur, facta, d.gl.7.num.117. Idem etiam quæritur de domo exemptili, quæ ſolo affixa nõ eſt, aut ſi affixa ſit, continuò eximi poteſt ac ſolet. Quam rebus mobilibus connumerandam eſſe placet, non immobilibus, quemadmodum nec dolium* Diogenis, *quamuis eo uice domus ſit uſus. d.gl.7.*
Repl.10. *num.118.* Homo *adſcripticius dicitur portio fundi, quamdiu adſcriptus eſt.* Ideoq; *inter immobilia connumeratur. d.gl.7. num.119. Quòd ſi fundum deſeruerit, pro mobili cenſendus eſt, perinde ac fru*
Repl.11. *ctus à ſolo ſeparati. d.gl.7. num.120. Secus de boue, aſino, & ſimilibus fundo eius inſtruendi cauſa addictis, eſt dicendum.* Hi *enim licet ſint fundi inſtrumenta, mobiles tamen ſunt, in quibus retractui*
Repl.12. *locus non eſt. d.num.119.* In*ſulæ inſuper maris, fluminis aut ſtagni, quamuis fluctuantes, immobilibus connumerantur: ideoq; ab exceptione propoſita*
Repl.13. *eximuntur. d. gl.7. num.121. Idem dicendum de ædificio, cuius parietes ſunt ſine cæmento aut calce. nam & hoc naturam atq; conditionem ſoli ſe-*
Repl.14. *quitur. d.gl.7.num.ult. Secus de naui eſt dicendũ, quæ quamuis in quibuſdam domui æquiparetur: tamen inter mobilia, in quibus retractui locus nõ eſt, numeran-*

numeranda. d.gl.7. num.88. cum tribus sequentibus. In molendinis distinguitur, ut si quidem instar nauium super flumine meent, ac ueluti ambulent: mobilibus connumerentur. Sin uerò tanquam domus in terra aut in ripis fluminum posita sint, illisq; adhæreant: sint immobilia. d.gl.7. num.92. cum tribus sequentibus. Fructus denique pendentes, quia pars fundi sunt, iuxta l.fructus pendentes. ff.de rei uendicat. ideo cum ipso fundo immobilibus quidem connumerantur, d.gl.7. num.37. cum sequentibus, usq; ad num.55. non tamen in ijs retractui locus est, sed quo ad hanc actionē, pro mobilib. habentur. Quod quidē cōtrouertitur, magis tamen approbatur d.gl.7.num.42. cū duodecim sequētibus. Hæc de re mobili uendita sint dicta. Præterea ex re uendita excipiendum uidetur, si res incorporalis, qualia sunt ea quæ in iure consistunt, uendita sit. nam etiam in hac ius retractus denegandum uidetur, quamuis nec mobilis, nec immobilis propriè dici potest. §.1.gl.5.num.1.in fine: & gl.7.num.58. At exceptio hæc reprobatur primùm quidem in hæreditate uendita, §.1. gl.7. num.81. cum quinq; sequentibus. Idq; obtinet, nisi in hæreditate nulla sint bona immobilia, sed mobilia tantùm. hoc enim casu retractus in hæreditate uendita non habet locum. d.gl.7. num.87. Eadem distinctio in actione quoque uendita obseruatur, ut si quidem actio uendita

Repl.15.

Repl.16.

18. Except. reprobatur.

De hæreditate uendita.

De actione uendita.

pro

pro re mobili competat, ipsa quoque actio mobilis censeatur, ut retractus in ea locum non habeat: sin autem pro re immobili competat, ipsa quoq; immobilibus connumeretur, ut sit retractui locus. §.1.gl. 7.num.1. cum sequentibus, usq; ad num.32. ubi tamen hoc cõtrouertitur, & uariè distinguitur. Sic *etiam uendita facultate redimendi rem immobilem à se prius uenditam, locus est retractui. d.gl.7.num. 32. item d. §.1.gl.10.num.127. et §.32.gl.unica, num. 71. itẽ lib.2. retractus, in fine, num.110. in fine. Quod tamen intelligendum, nisi facultas redimendi certum habeat tempus. tunc enim eo tempore finito, non amplius retractui locus est. d.num.127. cum sequente.* Non *solùm autem facultate redimendi uendita, sed etiam si is cui facultas hæc competit, accepta pecunia isti iuri renunciauerit, renunciantis cognatis ius retractus competit. §.1.gl.10.num.120.*

De facultate redimendi uendita.

De in integrum restitutione uendita.

Est insuper retractui locus in integrum restitutione uendita, siue doli, siue metus, siue ætatis ratione competat. §.32.gl.unica, num.71. Annui *quoq; reditus, licet in mobilibus rebus consistant, tamen pro immobilibus habentur, ut ijs uenditis retractui sit locus. §.1.in prin. & gl.6.num.3. cum tribus sequentibus. §.32.gl.1. num.86. & §.33. gl.1. num.3.* Dicti *autem uidentur reditus, quòd singulis annis redeant: ideoq; per simplex d scribendi. d. gl.6. num.1. Iisq; uectigalia tanquam generi species subijciuntur.*

De annuis reditibus uenditis.

tur.d.gl.6.num.2. Ideoq; idem in uectigalibus iuris est.§.32.gl.unica,num.78.cum sequentibus, usq; ad num.85. Planè reditus modici temporis inter immobilia non computantur, sed ij tantùm qui sunt perpetui,aut saltem ad longũ tempus. d.gl.6.num. 7. Nisi eadem esset ratio in reditibus annuis modici temporis, quæ etiam in reditibus longi temporis. tunc enim etiam inter immobilia computabuntur, aut certè idem ius in his, quod in illis, statuendum erit. d.gl.6.num.8. Perpetuum autem tempus hoc loco dicitur, quod est triginta annorum: longum uerò,quod est annorum decem. d.gl.6.num.9. Illud non interest, utrum annui reditus redimibiles sint, necne. Nam ij etiam qui redimi possunt, intra aliquod tempus uel simpliciter pro perpetuis reditibus & pro rebus immobilibus habentur. d.num.8. in fine.& d.§.1.gl.14.num.119.cum duobus sequentibus.Reditus tamen,quorum dies cessit,& pro quibus exigendis iam competit actio,pro mobilibus habentur, in quibus retractui locus non est. d.gl.6. num.10.Idem etiam dicendum uidetur de reditibus merè personalibus,pro quibus nec petitorium, nec possessorium iudicium competit, sed tantùm actio personalis,puta locati. d.gl.6.num.11.cum tribus sequentibus. ubi tamen hoc controuertitur, magisq; uidetur reprobari.Sed & illud interest,utrum quis uectigal uel reditus uendiderit ex fundo patrimo-

niali, an adquisititio. Siquidem in adquisititijs non est locus retractui, ut paulò inferius docebitur. Vnde si uectigal constitutum sit ac uenditum super omnibus bonis tã patrimonialibus quàm adquisititijs: in reditibus ex patrimonialibus tantùm bonis, non etiam ex adquisititijs, locus est retractui. §.32.gl.1. num.85.

De iure portorij uẽdito.

Porrò quemadmodum annui reditus, sic etiam ius portorij immobilium iure censetur, ut eo uendito retractus locum habeat. §.1.gl.7.num.34. cum duobus sequentibus.

De decimis uenditis.

Idem etiam dicendum est de iure decimarum, et aliarum portionum, quas quis ex fundo alieno percipit. d.gl.7.num.33.

De feudis uẽditis.

Feudum, quia generali appellatione bonorum nõ continetur, uideri potest à retractus iure excipi, ut eo uendito retractui locus non sit. Sed hæc exceptio controuertitur, magisq; reprobatur §.1.gl.3.num. 4. cum nouem sequentibus.

De emphyteusi uẽdita.

De emphyteusi & bonis emphyteuticis uenditis minus dubium est: quia bonorum appellatione uenit emphyteusis. d.gl.3. num.1. cum duobus sequentibus. adeò quidem, ut etiam in emphyteusi ecclesiastica uendita iuri retractus sit locus. d.gl.3.num.3. Quanquam eius cõtrarium allegatur d.§.1.gl.13.num.3. ubi asseritur, ius retractus non habere locum in rebus feudalibus & emphyteuticis Ecclesiæ: quòd statuta laicorum clericos & Ecclesiam non ligent. Sed huic obiectioni respondetur d.gl.13.num.8. cum duobus sequentibus.

bus. Si tamẽ res emphyteutica domino directo uendita esset, retractui locus non est: quemadmodum si ususfructus proprietario uenditus sit, cognati uenditoris ad retractum non admittuntur: cùm hoc ca su usufructus per consolidationem sit extinctus, ut s. except. 12. est ostensum. Si autem extraneo, non domino usufructus, usus uel habitatio uẽdatur, quibusdam uidetur retractui locum esse: quorum tamẽ sententia controuertitur d. gl. 7. num. 55. cum sex sequentibus. De seruitutibus prædiorum minus dubium est, ijs uenditis retractui locum esse: cùm immobilibus connumerentur, quamuis per se considerata nec mobiles sint, nec immobiles, sed tertiam quandam speciem constituant. §. 1. gl. 5. num. 1. cum duobus sequentibus. Quod etiam dicendum de seruitijs, quæ ratione rei immobilis debentur. d. gl. 5. num. 4. Hæc de ijs quæ in iure consistunt, seu de rebus incorporalibus uenditis sint dicta. Porrò inter exceptiones aduersus retractum ex re uendita desumptas numeratur & hæc: Si res uendita alio loco, in quo ius retractus non seruatur, sita sit: nam statuta & consuetudines, quæ sunt contra ius commune, non extenduntur ad res alibi sitas. §. 1. gl. 1. num. 2. cum sequente. In re insuper non patrimoniali, sed ab ipso uenditore adquisita, locus nõ est retractui, nisi ex speciali loci consuetudine. §. 32. gl. 1. & unica, num. 1. cum tribus sequentibus. Quæ

De usufructu & habitatione uenditis.

De seruitutibus prædiorũ uenditis.

De seruitijs uenditis.

19. Exceptio

20. Exceptio

Repl. 1.

exceptio declaratur definitione patrimonij d.gl.1.
Repl.2. *num.104. cum tribus sequentibus. Vnde quæritur, si quis rem patrimonialem extraneo uenditam retractus iure adquisierit: utrum ea res tanquam adquisita non subiaceat retractui, an adhuc inter res patrimoniales sit connumeranda? Quod cõtrouertitur d.gl.1. num.5. cum quatuor sequentibus. Quam controuersiam author distinguendo reconciliat d.gl.1.num.7. in fine.* Repl.3. *Sed & si quis pecunia ex uenditione fundi patrimonialis redacta alium fundum adquisierit, uidetur hic fundus patrimonialis potius quàm adquisititius esse, ut in eo rursus uendito ius retractus locum habeat. Quod tamen controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.1.num. 10. cum duodecim sequentibus. Admittitur tamen, si uenditor uerbis uel facto aliquo declarauerit, se uelle emptum à se fundum in patrimonialis fundi locum subire. d.gl.1.num.23. cum duobus sequentibus.* Repl.4. *Minus uerò dubitatur, si quis fundum patrimonialem cum alio fundo permutauerit: nam fundus ex permutatione acceptus patrimonialis fundi loco succedit, ut eo rursus uendito retractui sit locus. d.gl.1.num.11. & num.26.cum duobus sequentibus.* Repl.5. *Quod etiam obtinet, si diuisione hæreditatis facta, uni patrimonialia, alteri adquisititia bona obuenerint. Nam hæc diuisio instar permutationis se habet: ideoq; adquisititia pro parte loco patrimonialium*

nialium habentur. d.gl.1.num.88. cum sequente. Sed & si fundus patrimonialis ob noxiam in dominum commissam, aut aliam similem causam fuerit commissus, dominusq; noxiam uasallo remiserit: non ob id fundus desijt esse patrimonialis. d.gl.1. num.29. Quod etiam dicendum, si quis ad bona confiscata à principe fuerit restitutus. d.gl.1. num. 30.in prin. Secus dicendum, si uasallus feudum antiquum domino renunciauerit, de quo is eiúsue filius postea denuò fuerit inuestitus. hoc enim non amplius patrimoniale, sed nouum seu adquisititiũ reputabitur. d.num.30.uers.si autẽ uasallus. Quod etiam obtinet, si emphyteusi per generationem finita, dominus eam in alios cognatos renouauerit. nam & hæc adquisititia, non amplius patrimonialis censebitur. d.num.30.in fine. Quòd si dominus aliquem de feudo antiquo tanquam de nouo inuestierit: utrum hoc feudum antiquum esse desinat, & naturam noui feudi sortiatur, controuertitur, magisq; negatur d.gl.1.num.33. cum tribus sequentibus: & num.38. cum duobus sequentibus. Quemadmodum econtrariò, si feudum nouum sit concessum, ut antiqui feudi naturam haberet: utrum hoc antiquum seu patrimoniale, an nouum seu adquisititium sit censendum, controuertitur d.gl.1.num. 31. cum sequente: & num.37.num.40.& num.41. in quo postremo numero author respondet per di-

Repl.6. Repl.7. Repl.8.reprobatur. Repl.9. Repl.10. Repl.11.

ſtinctionem, quòd quoad ipſos contrahentes eorumq; hæredes habeatur pro feudo antiquo: ſed Repl.12. *quoad tertium, habeatur pro nouo. Quod etiam reſpondetur in prædio pecunia dotali empto, ut eſſet hæreditarium ipſius uxoris patrimonium. hoc enim poſtea rurſus uenditum non habebitur patrimoniale, quoad ipſum emptorẽ, ut id cognatis uenditricis cedere cogatur. d. gl. 1. num. 31. & num. 41.* Repl.13. *in fine. Præterea quibuſdam uidetur id quod quis ab eo, cui ab inteſtato eſſet ſucceſſurus, adquiſierit, non adquiſititium, ſed patrimoniale cenſendum eſſe, ut in eo rurſus uendito retractui ſit locus. Quorum ſententia in donatis tantùm & legatis, ſeu in titulo lucratiuo, non oneroſo adquiſitis procedit. d. gl. 1. num. 43. cum quinq; ſequentibus. Sed nec in lucratiuo titulo procedit, niſi pro ea parte, qua donatarius uel legatarius donatori aut teſtatori eſſet ſucceſſurus. d. gl. 1. num. 49. cum ſequente. Sed & non procedit, ſi donator id quod donauit, uoluerit adquiſititium, non patrimoniale eſſe. d. gl. 1. num. 51. cum ſequente. Poſtremò non procedit in donatis & legatis à collateralibus cognatis, non parentibus, quamuis donatarius uel legatarius ijs ab inte-* Repl.14 reprobatur. *ſtato eſſet ſucceſſurus. d. gl. 1. num. 52. Quemadmodum nec id patrimoniale cenſetur, quod quis non ex parentum, ſed ex tranſuerſalium ſucceßione ad-* Repl.15. *quiſiuit. d. gl. 1. num. ult. Præterea ædificium in ſolo*

lo patrimoniali extructum solo cedit, ipsumq; non adquisititium, sed patrimoniale habetur, ut in eo retractui sit locus. d.gl.1.num.53. cum sequente. Idq; multò magis dicendum, si domo patrimoniali exusta, alia in eadem area fuerit extructa. d.gl.1.num. 55. Sic etiam, si res patrimonialis uendita sit, & postea per in integrum restitutionem, uel ob læsionem ultra dimidium iusti precij ex l.2.C.de rescind. uendit.recuperata: ea res nō adquisititia, sed patrimonialis est censenda, in qua rursus uendita retractui sit locus. Quod quidem controuertitur, magis tamen approbatur d.gl.1.num.56. cum quatuordecim sequentibus. Similiter si feudum uel emphyteusis ex aliqua causa committatur, & ad dominum redeat, sicq; cū directo dominio consolidetur: ea res patrimonialis potius quàm adquisititia apud dominum esse censetur. Quanquam hoc controuertitur d.gl.1.num.72. cum sequente. Feudum uerò usucaptum non antiquum, sed nouum, seu non patrimoniale, sed adquisititium habetur, in quo uendito retractui locus non est. d.gl.1.num.74. cum sequente. De eo tamen, quod quis per usucapionem adquisiuit ultra antiquos terminos fundi patrimonialis, utrum hoc patrimonialē tanquā fundus cui accessit, an adquisititium sit censendum, dubitatur d.gl.1.num.76. Quemadmodum & de horto dubitatur, quem quis uicinum domui patrimoniali e-

Repl.16. Repl.17. Repl.18. reprobatur. Repl.19. Repl.20.

Repl.21. *mit,ut pertinentia domus esset.d.gl.1.num.77.* De *eo autem constat,si cuius fundus patrimonialis à tyranno sit occupatus, posteaq; tyranno occiso recuperatus: fundum illum redire in pristinam causam,*
Repl.22. *nec adquisititium haberi. d.gl.1.num.87.* Idem *dicendum, si res patrimonialis uendita sit, & postea ex pacto reuenditionis uel simili recuperata. nam & hæc res in pristinam causam redit, nec adquisititia,sed patrimonialis est censenda.§.19.gl.2.num. 1.cum sequentibus,usq; ad finem glossæ. & §.32.gl.*
Repl.23. *1.num.90. & num.103.* Postremò *sciendum, si cũ adquisititijs etiam patrimonialia uendita sint: in adquisititijs tantùm exceptioni propositæ locum esse, nõ etiam in patrimonialibus: nisi emptor nolit adquisititia retinere sine patrimonialibus. §.23.gl.2. num.8. cum duobus sequentibus: & §.32.gl.1.num. 85.Hæc de uicesima exceptione adquisititiorũ uen-*
21.Except. *ditorum cum suis replicationibus sint dicta.* Por*rò si quis non suam,sed alienam rem uendiderit: potest uideri ius retractus cessare:cum nihil ex familia uenditoris sit discessurum. Sed hoc non obstante, exceptio ista controuertitur & distinguitur §.1. gl.2.num.18.cum duobus sequentibus. de qua re uide item* ℥.*except.3.*
22.Except. Postremò *retractus cessat, si res à testatore alienari prohibita sit uendita.* Quan*quam exceptio hæc controuertitur in fine librì num.116.cum sequente.* Hæc *de tertio exceptionum*

genere

genere aduersus retractum, earum uidelicet quæ ex re uendita sunt desumptæ, sint dicta.

Sequitur quartum genus, earum uidelicet exceptionum, quæ sumuntur ex specie alienationis, qua res est alienata. licet enim emptionis ac uenditionis uocabulum latißimè pateat, ut omnem alienationē complecti uideatur, l. statuliberi. 29. in fine. ff. de statuliberis: tamen in actione proposita de uenditione propriè ac strictè sumpta intelligi debet. Ideoq; *si* 23. Except. *res alio quàm uenditionis titulo sit alienata, retractui locus non est. §. 1. gl. 2. num. 1. cum tribus sequentibus. Nisi alia species alienationis in fraudem retra* Repl. 1. *ctus simuletur. Quæ distinctio controuertitur quidē, sed magis approbatur in præfatione libri num. 68. cum nouem sequentibus. Si tamen fraus nō principaliter ad excludendum retractum, sed ad damnum uitandum sit adhibita: dicendum, iam dictæ distinctioni locum non esse. Quod approbatur & exemplis declaratur in d. præfatione, num. 78. cum tribus sequentibus. Sed & si alia specie alienatio-* Repl. 2. *nis res sit alienata, quæ uenditioni æquipollet: dicendum, dicta exceptione non obstante, retractui locum esse. §. 1. gl. 14. num. 1. quæ replicatio declarabitur per proximè sequentes replicationes, quæ huius sunt species. Si igitur res in solutum data sit,* Repl. 3. *cum solutio uenditioni æquipolleat: soluentis cognatis retractus non denegabitur. Quæ replicatio*

controuertitur quidem, sed magis approbatur d. gl.14.num.2.cum quatuor sequentibus: & num.91. cum septendecim sequentibus. Planè si fundus uel alia res immobilis in solutum detur pro debito, quod non in pecunia consistit, sed in alia specie: permutationi magis quàm uenditioni hæc solutio æquipollet. Ideoq; retractui in ea locus non est. d.gl.14. num.7. Cuius exemplum est in aßignatione rei immobilis pro annuo reditu: de quo tractatur d.gl.14. num.117. cum quinq; sequentibus. Præterea si fundus non à debitore, sed à iudice ex causa iudicati in solutum daretur, seu addiceretur: dicendum, quia hæc datio in solutum non est uoluntaria, sed necessaria, retractui locum non esse. d.gl.14.num.8. cum tribus sequentibus. Nisi consuetudo in contrarium extaret. d.gl.14.num.12. cum quinq; sequentibus. Vel, nisi facta subhastatione res non creditori, sed alij plus offerenti à iudice addiceretur. hæc enim non est datio in solutum, sed mera uenditio, in qua
Repl.4. *retractui locus est. d.gl.14.num.18. Porrò permutatio quoq; uenditioni æquipollet. Ideoq; res ex causa permutationis alienata uidetur retractui subiacere. Sed hæc replicatio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.14. num.28. cum undecim sequentibus: & num.112. Declaratur autem definitione permutationis §.30.gl.1.num.1. Planè admittitur replicatio proposita, primùm quidem, si pro re immobili*

mobili res mobilis sit permutata. hoc enim casu locus est retractui. d.gl.14.num.40. cum quinq; sequentibus. Deinde admittitur, si res æstimata ex causa permutationis data sit. nam æstimatio æquiparatur uenditioni. d.gl.14.num.19. cum octo sequētibus. Tertiò admittitur, si permutatio in fraudem retractus facta sit. d.gl.14.num.27. in fine: & num.46.in prin. de qua re dictum quoq; s̄. repl.1. Quartò admittitur, si pro fundo ex causa permutationis alienato partim species, partim pecunia sit recepta. hoc enim casu in fundo alienato retractui locus est. Quæ distinctio approbatur & subdistinguitur §.30.gl.1.num.2. Eius autem duplicatio prima est: Si animus contrahentium potior fuit ad permutandum, quàm ad uendendum. d.num.2. cū quatuor sequentibus. Altera duplicatio est: Si cum dubitetur de mente contrahentium, uocabulo permutationis, non uenditionis sint usi. d.gl.1.num.7. cum sequente. Tertia duplicatio est: Si paria sint species & pecunia. tunc enim in dubio permutatio magis quàm uenditio præsumitur. Quæ duplicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur d.gl.1.num.13. cum sequentibus, usq; ad finem glossæ. Hæc de quarta distinctione, qua replicatio proposita admittitur, eiusq; duplicationibus sint dicta. Quintò admittitur replicatio proposita, si pro specie & species & pecunia data sit. hoc enim casu in

specie

ſpecie cum pecunia data locus eſt retractui. Quæ diſtinctio controuertitur, magisq; approbatur d. §.30.gl.2.num.2. cum ſequente. Hæc de quarta re-
Repl.5. plicatione ſint dicta. Quintæ replicationis loco notandum, ſi reus alium contractum, qui non ſubiacet retractui, apud acta notificauerit, quòd uideatur in retractum conſenſiſſe: ideoq; exceptione propoſita non adiuuetur. Verùm replicatio hæc controuertitur, magisq; reprobatur §.36.gl.2.num. 48. cum quinq; ſequentibus. Admittitur tamen, ſi alius contractus de ſimulatione ſit ſuſpectus. d.gl.2. num.51. de quo etiam dictum ſ.repl.1. Hæc de prima exceptione, ex ſpecie alienationis deſumpta, cũ ſuis replicationibus ſint dicta: cuius exceptionis ſpecies ſunt aliquot exceptiones proximè ſequen-
24.Except. tes. Eſt autem altera eius generis exceptio, ſi promiſſa tantùm uenditio ſit, non ſecuta. hoc enim caſu retractui locus non eſt. Quæ exceptio controuertitur quidem, ſed magis approbatur §.1.gl.2. num.55. cum ſequente. Niſi res poſt promiſsionem ſtipulatori ſit tradita, & pro ea precium receptũ. Nam hoc modo uidentur ipſam uenditionem per-
25.Except. feciſſe. d.gl.2.num.57. & d.§.1.gl.14.num.126. Si item res ſit permutata, non eſſe locum retractui, niſi in certis quibuſdam caſibus, paulò ſuperius eſt
26.Except. oſtenſum. Sic etiam, ſi res donata ſit uel legata, retractus locum non habet. §.1.gl.14.num.90. &

§.25.

§.25.gl.2.num.1. Planè si ita sit donatum, ut donatarius donatorem aleret, uideri potest retractui locum esse: cum sit donatio onerosa, & sic uenditioni similis. Sed replicatio hæc controuertitur, magisq; reprobatur d.§.25.gl.2.num.2. Repl.1. *Idem dicendum de donatione remuneratoria, reciproca, aut ob causam facta. Nam utrum etiam in hac locus sit retractui, controuertitur, magisq; negatur d.gl.2.num.3.* Repl.2. *Planè si res minoris uendita sit donandi animo, retractui locus est. Quod controuertitur quidem, sed magis approbatur & distinguitur §.1.gl.18. num.11. cum septem sequentibus.* Repl.3. *Si insuper res ex causa transactionis detur, uel apud possessorem dimittatur, non uidetur retractus locum habere: cum hæc uenditio non sit. Sed controuertitur hæc exceptio atq; distinguitur §.1.gl.14.num.60. cum quindecim sequentibus.* 27.Except. *Si item in diuisione rei communis uni tota res sit adiudicata, ut alteri dimidiæ partis precium soluat, uel aliam rem mobilem pro ea cedat: uidetur retractui locus non esse. Verùm exceptio hæc in dubio relinquitur d.gl.14. num.76. cum duobus sequentibus.* 28.Except. *Sic etiam, si quis rem aliquam alicui cedat, ut cessionarius æs alienum cedentis suscipiat, eiusq; creditoribus satisfaciat: uidetur actio proposita deneganda. Sed & hæc exceptio controuertitur & distinguitur d. gl.14.num.114. cum duobus sequentibus.* 29.Except. *Similiter* 30.Except.

liter si uasallus uel emphyteuta precio accepto ius suum domino renunciauerit: utrum retractui hoc casu locus sit, nécne, controuertitur, magisq; affirmatur, & sic exceptio hæc reprobatur d.gl.14.
31.Except. *num.110.cum tribus sequentibus.* Contrà etiam, *si dominus uectigalis uel alterius annui reditus accepto precio ius hoc suum remiserit: utrum cognatis eius restituto precio retractus competat, nécne, controuertitur & distinguitur in fine libri*
32.Except. *num.119.cum tribus sequentibus.* Si item per cōpensationem res sit alienata: utrum retractui locus sit, nécne, author nihil definit, sed ad alios lectorem
33.Except. *remittit, §.1.gl.14.num.96.* De locatione quoq; *dubitatur, utrum in ea retractui sit locus. Quod controuertitur, & magis negatur, etiam in locatione ad longum tempus uel perpetua, d.gl.14.num. 79. cum sex sequentibus: & num.89. in fine. Nisi pensio locationis non soluatur singulis annis, sed pro uniuerso locationis tempore soluatur unū precium. tunc enim magis uenditio est, & uidetur in ea retractus locum habere. Sed & hoc controuer-*
34.Except. *titur d.gl.14.num.86.cum tribus sequentibus.* Si *item res in emphyteusin, libellum aut censum detur, cuius scilicet pensio perpetua est, nec subiecta redemptioni: retractui locus esse negatur, §.33.gl.1. num.1.cum sequente. Nisi fortè ab initio contractus ultra pensionem annuam precium detur pro ista*

pensione

pensione maius annua pensione. tunc enim uenditio censebitur, ut sit retractui locus. d.num.1.uers. ubi hinc occasione sumpta quæritur. Similiter retractus nō habet locū in concessione in feudū.d.gl. 14.num.90.in fine. nec itē in causa dotis. Quæ tamē exceptio cōtrouertitur, magisq; reprobatur d. gl.14.num.91.cū octodecim sequentibus: præsertim si res immobilis æstimata in dotem data sit.d.gl.14. num.108.cum sequente. & remißiuè de causa dotis uide d.gl.14.num.90. ibi: ubi etiam tractant. In pignoris quoq; datione non est locus retractui, nisi res tanti sit pignorata, ut nulla spes supersit luitionis. d.gl.14.num.127. Vtrum uerò re à non domino uendita, & à possessore usucapta, cognatis domini ius retractus competat, controuertitur §.1.gl. 9.num.249. cum sex sequentibus. Hæc de quarto exceptionum genere, earum uidelicet quæ ex specie alienationis sumuntur, sint dicta.

35.Except. 36.Except. 37.Except. 38.Except.

Quintum genus est earum exceptionum, quæ sumuntur ex qualitate uenditionis. Cuius generis exceptio est: Si nulla uel inutilis sit uenditio: hoc enim casu retractui locus esse negatur, §.1.gl.2. num.5.cum quatuor sequentibus. Quam tamen exceptionem improbat author d.gl.2.num.11. eamq; distinguendam censet, si uenditor non utatur iure suo, uenditionem nullam dicendo: tunc enim retractui locum esse affirmat, d.gl.2,num.10. Huius exceptionis

39.Except. 40.Except.

exceptionis species uideri potest uenditio rei alie-
41. Except. *næ. de qua dictum s. except. 21.* Item prædictæ *exceptionis species est uenditio simulata. ea enim pro nulla habetur: ideoq; retractus in ea locum nõ*
42. Except. *habet. d. gl. 2. num. 12. cum quinq; sequentibus.* Sic *etiam, si quis rem suam quasi alienam, puta eius cuius negocia gerit, uendat, nulla est uenditio: ideoq; retractui locus non est. d. gl. 2. num. 21. Hæc de quinto etiam exceptionum genere sint dicta.*

Sexto loco sciendũ, modũ etiã uenditionis interdũ excipiendi materiã aduersus retractũ suppedita-
43. Except. *re.* Nam *in uenditione sub conditione facta non est locus retractui ante existentem conditionem. de*
44. Except. *qua re j. except. 62. dicetur.* Idem *etiam nonnulli censent de uenditione sub modo facta, cum æquiparentur conditio & modus. Quorum tamen sententiam refellit author §. 1. gl. 2. num. 34. cum se-*
45. Except. *quente.* Sic *etiam facta uenditione, ne dominium rei uenditæ in emptorem transiret, nisi prius soluto precio: uideri potest retractum non habere locum: quia nemo uidetur eam rem uendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat. Sed hæc exceptio controuertitur, magisq; repro-*
46. Except. *batur d. gl. 2. num. 36. cum tribus sequentibus.* Sic *etiam si uenditio sit facta hoc modo, ut si uenditoris cognatus rem uelit retrahere, res sit inempta: retractui locus esse negatur. Quæ & ipsa exceptio*

contro-

controuertitur, ſed magis approbatur & diſtinguitur d.gl.2.num.59. cum duobus ſequentibus. Si item uenditio facta ſit cum pacto de reuendendo, uenditor eiúſue hæres cognatis ſuis retrahere uolentibus præfertur, ut ĩ.lib.prox.quæſt.5.reg.6. dicetur. attamen uenditore nõ retrahente, pactum hoc cognatis eius non obſtat, quo minus rem retrahere poßint.§.1.gl.18.num.41.item lib.2.retractus. §.2.gl.1.num.1. Præterea in uenditione ad tempus facta, puta ad uitam emptoris, aut aliud tempus, uidetur ius retractus non eſſe admittendum.§. 1.gl.14.num.88. cum ſequente. Poſtremò, ſi res uendita ſit pro pecunia à Principe reprobata, uidetur uenditio hæc nulla eſſe: cùm pecunia publicam debeat habere authoritatem. Ideoq; retractus uidetur denegandus, per ea quæ ſ.except.39.dicta ſunt. Sed iſtis non obſtantibus, exceptio hæc reprobatur d.gl.14.num.ult. Hæc de ſexto genere exceptionum, ex modo uenditionis deſumptarum, ſint dicta.

47.Except.
48.Except.
49.Except.

Septimo loco ſciendum, cauſam etiam uenditionis excipiendi materiam præbere. Nam multum uidetur intereſſe, utrum quis ſpontè uendiderit, an ad hoc ex aliqua cauſa obligatus: puta ſi promiſerit, uel hæres à teſtatore iuſſus uendiderit. Siquidem hoc poſteriore caſu magis ſolutio uidetur quàm uenditio: cum liberandi animo uendat. Sed exce- 50.Except.

ptio hæc controuertitur, magisq; reprobatur d.gl. 14.num.124. cum duobus sequentibus: item in fine libri num.3. cum sex sequentibus. Aliâs autem in uenditione necessaria communiter negatur retractui locus esse, d.num.3. uers.illud autem planum est. Hæc de causa uenditionis breuiter sint dicta: ad quod genus uideri potest referenda s. dicta exceptio 42. quasi per errorem facta uenditio non admittat retractum.

Octauo loco sciendum, adiuncta quoq; & antecedentia uenditionis interdum exceptionem aduersus retractum suppeditare. Nam si actor uenditioni consensum præbuit, postea non admittendus est ad retractum rei uēditæ. §.1.gl.9.num.120.uers. quartus. item num.133.cum septem sequentibus.ubi exceptio hæc controuertitur quidem, sed magis approbatur. Si tamen consensit nomine sui officij, puta tanquam testis, notarius uel cognatus uenditricis: dicendum est, consensum illi non præiudicare. d.gl.9.num.141.cum duobus sequentibus. Proinde si tanquam tutor aut curator uenditoris authoritatem suam uenditioni præbuit: nihilominus postea ad retractum admittitur. d.gl.9.num.271. Quod etiam dicendum, si tanquam iudex decreuit bona debitoris uendenda, & subhastatione facta rem plus offerenti adiudicauit. d.gl.9.num.272. Si tamen uenditori tanquam aduocatus, uel procurator

51.Except. (margin, beside "sus retractum suppeditare")

Repl.1. (margin, beside "probatur")

tor aut consiliarius adfuit in uenditione: eo ipso uidetur sibi præiudicare, ut postea retrahere uolens non admittatur. d. gl. 9. num. 267. cum tribus sequentibus. Quod & de filio, qui rem patris uendidit, dicendum. in fine libri, num. 100. cum duobus sequentibus. item de eo qui pro euictione fideiußit. d. gl. 9. num. 158. & num. 273. item de eo qui instrumentum uenditionis scripsit. d. num. 158. aut ei subscripsit. d. gl. 9. num. 159. item de eo qui precium uenditionis recepit. d. gl. 9. num. 160. & qui emptori ut emeret persuasit. d. num. 158. Porrò consentienti æquiparatur, qui præsens in ipso contractu tacuit, nec ei contradixit. Nam qui tacet, consentire uidetur. l. item quæritur. §. penult. ff. locati. Sed hæc exceptio in retractu controuertitur, magisq; reprobatur d. gl. 9. num. 115. cum quinq; sequentibus: & num. 148. cum octo sequentibus. Admittitur tamen exceptio hæc, primum quidem, si præsens dolosè tacuit. d. gl. 9. num. 157. Deinde, si præter præsentiam aliquid fecit, quod consensum eius argueret: puta, si pro euictione intercesßit, uel emptori persuasit ut emeret, instrumentum emptionis scripsit, uel precium recepit. d. gl. 9. num. 158. cum duobus sequentibus. 52. Except.

Præterea si duo rem communem uendant, licet quilibet suam tantum partem censeatur uendere: tamen ad socij partem retrahendam, tanquam in eius quoq; partis uenditionem consentiens, non admittitur. 53. Except.

54.Except. admittitur. d.gl.9.num.256.cum sequente. Si itẽ actor ante uenditionem rem sibi à domino oblatam noluit emere: uidetur postea à rei uenditæ retractu exceptione repellendus. d.gl.9.num.114. & num. 120.uers.quintus. Sed hæc exceptio reprobatur d.
55.Except. gl.9.num.145. cum sequente. Planè si actor antea permiserit uenditori rem cui uelit uendere: postea retrahere uolens exceptione repellitur. Quæ exceptio controuertitur quidem, sed magis appro-
56.Except. batur d.gl.9.num.113. Similiter si actor promisit uenditori se non retracturum: postea agenti obstabit exceptio.d.gl.9.num.112.& num.129.cum tri
57.Except. bus sequentibus. Idq; multò magis dicendum, si emptori hoc promisit, uel alio modo retractui renunciauit. d.gl.9.num.111. & num.120.cum quinq; sequentibus: item in fine libri num.39. cum duobus sequentibus.de qua exceptione uide item J.except.
58.Except. 65. Re tamen semel uendita, & per actorem non retracta, si ea rursus ad uenditorem redierit, isq; eam iterum uendiderit: dicendum actori retrahere uolenti non obstare exceptionem prioris uenditionis non retractæ. Quanquam hoc controuertitur d.gl.9.num.161.cum duobus sequentibus. de qua re
59.Except. uide item s̃.except.20.repl.16.& repl.22. Postremò, si actor omnes suos adquæstus præsentes & futuros alteri donauit, ipse postea retractus iure uti non poterit: cum res retracta reditura sit ad dona-

tarium

tarium extra familiam retrahentis: nisi fortè donatarius iste sit cognatus donatoris. §.26.gl.2.num. ult. Hæc de *octauo etiam genere exceptionum, earum uidelicet quæ ex antecedentibus & adiunctis uenditionis sunt desumptæ, sint dicta.*

Restat nonum & ultimum exceptionum genus, desumptarum ex consequentibus uenditionem. Harum *prima est: Si res uendita nondum fuerit emptori tradita. hoc enim casu retrahere uolens exceptione uidetur repellendus. Quæ tamen exceptio controuertitur §.1.gl.2.num.43. cum undecim sequentibus.* 60.Except. *Sed & retrahere uolens exceptione repellitur, si emptor & uenditor re adhuc integra discedant à uenditione. d.gl.2.num.54.* Idq; *multò magis dicendum, si pendente uenditionis conditione à uenditione discedant. d.gl.2.num.29. Secus dicendum, si res amplius non sit integra. hoc enim casu emptor & uenditor actori, cui ius est quæsitum, suo distractu non præiudicant. Quod quidem controuertitur, sed magis approbatur d.gl.2.num. 40.cum duobus sequentibus.* 61.Except. *Præterea pendente adhuc conditione uenditionis, retractui locus nō est: quia interim non censetur perfecta uenditio. Quanquam exceptio hæc controuertitur §.1.gl.2. num.22. cum septem sequentibus: & gl.10.num.55. item lib.2.§.2.gl.unica, num.85.cum tribus sequentibus. Planè si res fuerit tradita, quamuis nondum* 62.Except.

extiterit conditio uenditionis, propositæ tamen exceptioni locus non est. d gl.2.num.30. cum duobus sequentibus. Nisi fortè traditio etiam sub conditione fuerit facta: quod in dubio præsumitur, si non
63. Except. reprobatur. aliter sit dictum. d.gl.2.num.33. Illud non interest, quoad retractum attinet, utrum precium uenditionis ab emptore solutum sit, nécne. nam utroq;
64. Except. casu retractus locum habet. d.gl.2.num.62. Si autem uenditor emptori precium remiserit, quia uenditio in causam donationis transit, retractui locus non est. Quæ exceptio approbatur & distin-
65. Except. guitur §.1.gl.14.num.123. Si item actor iuri suo renunciauerit, retrahere postea uolens exceptione pacti conuenti de non petendo repellitur. §.1.gl.9. num.111. item num.120. cum sequente. Nec interest, utrum specialiter renunciauerit, an generaliter promiserit, nullam se controuersiam super re uendita facturum esse. d.gl.9 num.122. Nec item refert, quãuis renunciatio facta sit ante perfectam uenditionem, & sic iuri futuro. d.gl.9.num.123. cum duobus sequentibus: & num.113. Sed etsi emptor, cui renunciatio facta est, rem alteri postea uendiderit: adhuc dicendum, exceptionem secundo emptori prodesse. d.gl.9.num.127. cum sequẽte. dummodò actor tanquam cognatus prioris, non posterioris uenditoris rem retrahere uelit: alioquin si tanquam cognatus posterioris uenditoris rem retrahat, dicendum

dum exceptionem ei non obstare: quia conuentio facta super uno contractu non trahitur ad alium. d.gl.9.num.126.& num.128. Illud non interest, siue ipsi emptori, siue alij renunciatio sit facta. nam & uenditori renunciatio facta, emptori prodest, ut §.except.56.ostensum est. & remotiori cognato facta renunciatione, emptori non denegabitur exceptio. in fine libri, num.39. cum duobus sequentibus. Quamuis item res adhuc sit integra, dicendum tamen est pœnitentiæ locum non esse, nec eum qui semel iuri suo renunciauit, ad retractum esse admittendum. Quanquam hoc controuertitur in fine libri num.41. Porrò renuncianti similis uidetur 66. Except. reprobatur.
is, qui precium emptori oblatum & depositum postea recepit. unde postea retrahere uolens exceptione uidetur repellendus. Sed hæc exceptio reprobatur §.7.gl.3.num.4.cum sequente. Si uerò actor 67.Except.
alteri ius suum cesserit, ipse postea retrahere uolens non est audiendus. §.26.gl.2.num.14. quamuis inutiliter cessio ab eo sit facta. d.gl.2.num.5. cum octo sequentibus. ubi tamen hoc controuertitur & distinguitur. Planè si cesserit ius suum cognato suo remotiori, qui rem à se retractam postea alij uendidit: dicendum est, cessionis exceptionem ipsi cedenti, qui rem secundò uenditam retrahere uolet, non obstare. d.gl.2.num.15. Plura de hac exceptione uide J.quæst.prox.reg.1.except.20. Præterea si do 68.Except.

minus feudo uendito laudimia elegerit, postea illud retrahere uolens exceptione uidetur repellendus, cum unum eligendo, alteri uideatur renunciasse. Quæ tamen exceptio reprobatur cum distinctio-
69.Except. ne §.24.gl.1.num.7.cum sequente. Sed & si con iecturis uel alio modo probari poßit, actorem non sibi, sed alij rem retrahere uelle: non solùm exceptione, sed etiam actione emptor ad rem retractam reuocandam iuuatur. §.5.gl.1.num.3. cum sequen-
70. Except. reprobatur. te. Etsi autem cognatus remotior rem ab emptore retraxit, nihilominus proximiori aduersus retrahentem actio dabitur. §.11.gl.6.num.1.cum sequente. perinde ac si remotiori esset uenditio facta: nam & hic aduersus proximiorem retrahere uolentem exceptione non iuuatur, ut ostensum s̃. except.13.
71.Except. Si insuper semel hac actione actum sit, rursus agenti exceptio rei iudicatæ obstabit: nisi cum antea maritus nomine uxoris egisset, postea ipsa uxor agat. hoc enim casu uxori rursus agenti non nocebit exceptio. §.10.gl.1.num.21.ubi tamen nihil certi definitur, sed ad alios authores fit remißio. Sic etiam, quamuis proximiores uenditoris cognati egerint, ac succubuerint, nihilominus remotioribus postea agentibus, si modò collusionem probauerint, dabitur actio. §.1.gl.10.num.122.Similiter si cum emptore actum sit, re iam ab ipso alienata, & postea cum possessore rei agatur, rursus agenti nõ obstabit exceptio:

ceptio: quemadmodum contrà, si cum possessore actum sit, & prior emptor postea conueniatur, ei nõ dabitur exceptio supradicta. §.12. gl.1. num.26. Postremò, si reus fuerit absolutus ob aliquam solennitatem ab actore omissam: uidetur, si actor istum defectum intra tempus retractus suppleuerit, quòd exceptio rei iudicatæ ei non debeat obesse. Quod tamen controuertitur ac distinguitur per ea quæ habentur paulò inferius except.75. replic.2. duplic.3. Illud sanè emptori uel possessori hac actione conuento exceptionẽ non suppeditat, si dicat sibi eiusdem rei nomine ab alio cõtrouersiam moueri, sicq; rem litigiosam esse factam, quæ pendente lite cedi non poßit. nam uitium litigiosi non pertinet ad alienationes necessarias, quæ habent causam ex præterito. in fine libri num.1. cum sequente. Porrò si res empta perierit: hauddubiè emptor actione proposita non tenetur, nec ad rem, quæ non amplius extat, restituendam, nec ad eius æstimationem: cum casum fortuitum nemo teneatur præstare. Si tamen culpa emptoris res perierit: uideri poteſt emptorem ad rei æstimationem teneri: quæ tamen replicatio controuertitur in fine libri num.67. cum quatuor sequentibus. Planè si post oblatũ ab actore precium, & sic post moram res perierit, hauddubiè emptor ad æstimationem rei tenetur, etiamsi aliter ipsius culpa res non perierit. ibidem num.68. &

72. Except. reprobatur.

73. Except.

Repl.1.

Repl.2.

Repl.3. num.69.in prin. Sed & si aliquid ex re, quæ perijt, supersit: ueluti domo exusta, superest area: ad id quod ex re superest, actio proposita non denegabitur. Quanquam & hoc controuertitur, magis tamen approbatur ibidem num.72.cum tribus sequentibus. Sed hoc casu actor nō integrum precium offerre tenetur, uerùm æstimationē tantùm eius quod superest, arbitrio iudicis faciendam. Quanquam & hoc controuertitur ibidem num.76. cum sequente.

74.Except. Præterea exceptione actor repellitur, si non totam rem emptam, quæ extat, sed partem eius: aut pluribus rebus uno precio emptis, non omnes, sed quasdam ex ijs retrahere uelit. §.23.gl.1.num.1. cum octodecim sequentibus. de qua tamē exceptione eiusq; replicationibus uide j. quæst.9. reg.4.

75.Except. Postremò, ut retractui locus sit, requiritur etiam omnia retractus solennia ab ipso actore impleri: alioquin exceptione actor repellitur. §.8.cum sua gl.1.num.1.& gl.7.num.1.cum sequente. Quæ exceptio declaratur enumeratione solennium d.§.8. de quibus copiosius uide j. quæst.11.reg.1. cum sequentibus.

Repl.1. Planè si emptor exceptionem hanc nō opposuerit, præsumuntur omnia ritè ac solenniter

Repl.2. acta.d.gl.1.num.2. Sed & si aliquid ex solennibus sit omissum, potest hic defectus postea coram iudice suppleri: dummodò tempus isti solennitati præ-

Dupl.1. stitutum nondum effluxerit.d.gl.1.num.6. Nam eo elapso,

elapso, defectus non amplius potest suppleri: nec censebitur præscriptio per iudicium interrupta. §. 8.gl.7.num.27. Item defectus amplius suppleri nõ potest, si exceptio solennitatis omissæ ab emptore fuerit obiecta. d.num.6.in fine: & d.gl.7.num.26. Multò minus potest, si sententia lata sit, emptorq; absolutus. nam hoc casu, quamuis tempora largiantur, tamen actor non potest denuò facere oblationem antea omissam uel non rectè factam, nouumq; instituere processum, exceptione rei iudicatæ obstante. Quanquam hoc cõtrouertitur d.gl.7.num. 3.cum sequentibus, usq; ad num.26. & lib.2.retractus, §.4.gl.8. num.unico. Planè si à sententia fuerit appellatum, & tempus nondum effluxerit, defectus pendente appellatione potest suppleri. d.gl.7. num. ult. Hæc de septuagesimaquinta exceptione breuiter sint dicta: cuius species, harumq; replicationes plures uide j.d.quæst.11. Sed & eius species uideri potest, si intra legitimum tempus actio non fuerit in iudicium deducta. de qua specie dicetur j.quæst.10.reg.2. Item eius species est, si actor, cum reum citari fecisset, ipse die præstituto non adfuerit in iudicio. hoc enim casu, quamuis post diem illum elapsum in iudicio compareat, uidetur exceptione repellendus. Sed exceptio hæc controuertitur §.8.gl.2.num.9.cum quinq; sequentibus.

Dupl.2.

Dupl.3.

76.Except.

77.Except.

Replica-

Replicationes generales præcedentium exceptionum.

Hactenus exceptiones aduersus retractum municipalem, ex causa ipsius desumptas, enumerauimus. quarum generalis replicatio prima est: Si emptor pretium oblatum accepit, seq; actorem ad retractum admissurum esse dixit. hoc enim casu istis exceptionibus, quas habuit, renunciasse uidetur. in fine libri num.36. cum sequente. Altera replicatio est: Si emptor actori denunciauit, ut ad retractum ueniret. §.1.gl.10.num.20. Cuius duplicatio est: Si ignorans exceptionem sibi competere denunciauit. d.gl.10.num.21.cum sequente. Quæ duplicatio etiam dictæ primæ replicationi potest opponi. Hæc de causa propositæ actionis, eiusq; exceptionibus sint dicta.

V. QVIBVS ACTIO PROPOSITA COMPETIT?

I. Regula: *Datur hæc actio cognatis ipsius uenditoris, ut s̃. quæst. prox. in prim. est ostensum. Cognati autẽ more Gallico linearij appellantur, quòd sint eiusdem lineæ, §.1.gl.9.num.1. cum duobus sequentibus. Item appellantur consanguinei, d.gl.9. num.3.cum quatuor sequentibus. Item propinqui, d.gl.9.num.8.cum duobus sequentibus. Item cognati, d.gl.9.num.11.cum sequente. Item necessarij, d.gl. 9.num.*

9.num.13.cum ſequente. Item proximi, d.gl.9.num. 15.cum ſequente. Item gentiles, d.gl.9.num.17.cum ſequente. Item tribules à nonnullis uocantur, d.gl. 9.num.19. Item affines, d.gl.9.num.20. Item parentes, §.1.gl.8.num.1. cum duobus ſequentibus. Ab *hac regula uidentur primùm excipiendi parentes uenditoris. Quæ tamen exceptio controuertitur, magisq́; reprobatur in fine libri num.92. cum ſequente.* Deinde *excipiendi uidẽtur cognati, qui uenditori hæredes exiſtunt. Sed & hæc exceptio controuertitur, magisq́; reprobatur §.1.gl.9.num. 48.cum decem ſequentibus: item in fine libri num. 104. Idq́; multò magis dicendum, ſi uenditor adhuc uiuat.* Nam *quamuis filius uel alius cognatus eius poſt mortem uenditori ſit ſucceſſurus, hoc illi nõ obſtat, quo minus rem uenditam retrahere poſſit. d.gl.9.num.47.* Tertiò *excipiendus uidetur filiusfamiliâs uenditoris, qui nulla adhuc bona habet. Sed & hæc exceptio controuertitur, magisq́; reprobatur d.gl.9.num.59.cum ſeptendecim ſequẽtibus.* Quartò *excipiendi uidentur cognati remotiores, quos alij gradu præcedunt. Sed hæc quoque exceptio reprobatur d.gl.9.num.21. cum ſequente: item num.26.& §.14.in prin. Admittitur tamen exceptio hæc, ſi alius proximior cognatus rem uelit retrahere: hic enim remotioribus præferendus, eosq́; excludit. §.11.in prin.& gl.2.num.1.*

1.Except. 2.Except. 3.Except. 4.Except.

Declaratur

Declaratur hæc distinctio definitione proximi d.
Repl.1. *§.11.gl.1.num.1.cum tribus sequentibus. Cuius re-plicatio prima est: Si non probauerit se esse proxi-mum. Quæ replicatio controuertitur d.gl.1.num.*
Repl.2. *5. cum quinq; sequentibus. Altera replicatio ui-detur: Si dubitetur de uita alterius, qui proximior est, si uiueret. hoc enim casu, nisi proximus illū pro-bet esse mortuum, non admittitur. Quæ tamen re-*
Repl.3. *plicatio etiam controuertitur d.gl.1.num.11. Ter-tia replicatio est: Si proximus uenditoris cognatus non sit proximus ei, à quo res uendita primùm pro-cessit. Quæ & ipsa replicatio controuertitur, ma-gisq; reprobatur d.gl.1.num.12. cum octo sequen-tibus: & §.14.gl.1.num.1. Admittitur tamen, si alius quamuis remotior ex ea linea, ex qua res processit, ad retractū ueniat. nam hic alij, quamuis proximio-ri, præfertur. §.14.gl.2.num.1.cū tredecim sequen-tibus. Ratione huius replicationis cognati à patre paterna, & cognati à matre materna bona retra-hunt, & non uiceuersa. d.gl.2.num.2. cum duode-cim sequentibus. Cuius replicationis duplicatio prima est: Nisi diuisione inter duos fratres facta, uni paterna, alteri materna bona cesserint, & unus ex ijs bona quæ sibi obuenerunt, uendiderit. hoc enim casu tam à patre quàm à matre cognati simul ad retractum admittuntur. d.gl.2.num.15. Alte-ra duplicatio est in bonis à uenditore adquisitis. in*

his enim etiam simul admittuntur. §.32. *Quarta* Repl.4.
replicatio est : Si proximior tempore uenditionis nondum fuerit natus. Quæ replicatio controuertitur d. §.11.*gl.*2.*num.*2. *item* §.1.*gl.*9.*num.*99. *cum septem sequentibus.* *Quinta replicatio est : Si a-* Repl.5.
ctor æquè proximus sit ac alius. tunc enim ab alio non excluditur: sed si uterq; diuersis iudicijs agant, ei qui prior uincit, res cedenda est, cautione indemnitatis ab eo exacta. d. §.11.*gl.*3.*num.unico.* & *cæteris, qui sunt eiusdem gradus, aduersus uincentem pro rata competit actio.* §.11.*gl.*10.*num.*6.*uers.nā si nondum. Plura de replicatione proposita uide* ℐ. *reg.prox.* *Sexta replicatio est: Si remotior prius* Repl.6.
egerit quàm proximior. hoc enim casu à proximiore non excluditur. Quæ replicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur §.11.*gl.*4.*num.*1.*cū tribus sequentibus.* *Septima replicatio est: Si pro* Repl.7.
ximior in successione non esset præferendus. §.13. *gl.*1.*num.*1. *Octaua replicatio est : Si proximior* Repl.8.
à remotiore interrogatus respondit, se nolle retrahere. Quæ replicatio controuertitur & *distinguitur in fine libri num.*39. *cum duobus sequentibus.* Repl.9.
Nona replicatio est : Si proximior ius suum alteri cesserit. §.26.*gl.*1.*num.*32. *Controuertitur tamen d.* §.26.*gl.*2.*num.*5.*cum decem sequentibus. de qua replicatione uide item* ℐ.*except.*20. *Decima repli-* Repl.10.
catio uidetur : Si remotiori cessio huius iuris à

proxi-

uertitur, magisq; reprobatur §.1.gl.9.num.179.cũ sequentibus, usq; ad num.247. Planè admittitur in fœminis uenditori nõ successuris d.gl.9.num.245. & d.§.1.gl.8.num.13. Decimò excipiuntur clerici & alij religiosi. d.gl.8.num.19. Cuius replicatio prima est: Si uẽditori possent succedere. Quæ replicatio controuertitur d.num.19. uers.quod si succederent, usq; ad finem. Altera replicatio est: Si ingressus monasteriũ nondum sit professus. Quæ replicatio controuertitur d.gl.8.num.21. cum nouendecim sequentibus. Tertia replicatio est in clerico seculari. d.gl.8.num.41. Cuius duplicatio est: Si statutum clericos à retractu excluderet. d.gl.8.num.42.cum sequente. Vndecimò excipiuntur ingrati aduersùs ipsum uenditorẽ. d.gl.8.num.44. & num.49. Duodecimò excipiuntur exhæredati d.gl.8.num.45. Cuius replicatio prima est: Si ab alio quàm uenditore sint exhæredati. d.gl.8.num.46. cum sequente. Huius duplicatio est: Si ab alio exhæredatus ex persona exhæredantis succederet uenditori. d.gl.8.num.48. Altera replicatio est: Si citra ingratitudinem sit exhæredatus. de qua uide s̃.except.8.repl.2. Decimotertiò excipiuntur banniti. Quæ exceptio controuertitur §.1.gl.9.num.27. cũ duobus sequentibus. Decimoquartò excipiuntur excommunicati. Sed & hæc exceptio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.9.num.

10.Except. 11.Except. 12.Except. 13.Except. 14.Except.

9.num.276. cum sex sequentibus. ubi multa alia de
15.Except. *excommunicatione ex historijs adducuntur.* Decimoquintò excipiuntur, *qui tempore uenditionis nondum sunt nati*. *Quæ exceptio controuertitur*
16.Except. *d.gl.9.num.77. cum quatuor sequentibus.* Decimosextò excipiuntur, *qui post uenditionem demũ sunt concepti*. *Quæ exceptio controuertitur, sed magis approbatur d.gl.9.num.82.cum quatuordecim sequentibus.* Cuius replicatio est: *Si pendente die uel conditione uenditionis sint cõcepti*. *Quæ replicatio controuertitur d.gl.9.num.97. cum se-*
17.Except. *quente.* Decimoseptimò excipiuntur *ij qui emere non possunt, seu rei uenditæ sunt incapaces. d.gl. 9.num.176.cum sequente. Contradicit d.gl.9.num. 164.in fine, cum aliquot sequentibus: ubi hoc in exemplis controuertitur.* Planè huius exceptionis replicatio est: *Si feudo à uasallo uendito, dominus directus cognato incapaci permiserit retrahere. d.gl.9.num.177.uers.at si princeps non impe-*
18.Except. *diat.* Decimooctauò excipiuntur *forenses seu extranei, qui stante statuto ne extraneis liceat alienare, non habitant eo loco, in quo res uendita sita est. Quæ exceptio cõtrouertitur d.gl.9.num.164.cum*
19.Except. *undecim sequentibus.* Decimononò excipiendi *uidentur, qui cognato uenditoris in uenditionem consentienti hæredes extiterunt. Sed reprobatur*
20.Except. *hæc exceptio d.gl.9.num.144.* Vicesimò excipiuntur,

piuntur, qui ius suum alteri cesserunt. Quae exceptio controuertitur §.26.gl.1.num.32. uers.sed an sibi.item gl.2.num.5.cum decem sequētibus.de qua tamen exceptione uide item s̄.except.4.repl.9. itē s̄.quaest.prox.4.except.67. Vicesimoprimò exci- 21.Except.
piuntur ij, qui omnia bona sua, praesentia & futura, alteri donauerint. de qua exceptione uide s̄. quaest.prox.except.59. Haec de prima regula, cuius plures exceptiones licet colligere ex regulis sequentibus.

II. Regula, De pluribus cognatis simul agentibus. Plures cognati uēditoris, qui sunt eiusdem gradus, simul hac actione agere possunt, singuli scilicet pro rata. §.1.gl.9.num.178. & §.11.gl.10.num.1.cū duobus sequentibus. Planè huius regulae exceptio prima haec est: Nisi res retrahenda sit indiuidua. tunc enim praeoccupanti in solidum competit actio. d.gl.10. num.4. cum sequente. Altera exceptio est: Si alij agere nolint. tūc enim unus in solidum admittitur. §.11.gl.11.num.1. Tertia exceptio est: Si plures sint diuersi gradus. tunc enim remotiores gradu per proximiores à retractu excluduntur. Quae exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quae proposita sunt s̄.reg.prox.except.4. Sed & eius replicatio haec est: Si gradu remotiores defuncti parentis sui personam repraesentent: ut filij fratrum, qui cum patruo suo admit-

tuntur iure repræsentationis.d.§.11.gl.9.num.1.cũ tribus sequentibus:ubi replicatio hæc controuertitur. Huius replicationis duplicatio prima est: Si is qui personam parentis sui uult repræsentare, uiuo parentē, quem uult repræsentare, nondum fuerit conceptus. Hæc duplicatio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.9.num.5.cum sequente. Altera duplicatio est, quòd ij qui iure repræsentationis ad retractum admittuntur, non pro rata cum cæteris cognatis admittantur, sed partem tantùm, quam parens ipsorum retracturus fuisset si uiueret, retrahant. d.§.11.gl.12.num.2.in fine. Quarta propositæ regulæ exceptio est: Si plures cognati simul agere uolentes ex diuersis parentibus sint nati. tunc enim non pro rata, sed in stirpes ad retractum admittendi sunt. d.gl.12.num.1. Huius replicatio est in collateralibus cognatis, qui in capita, seu pro rata admittuntur, licet ex diuersis parentibus sint orti.d.gl.12.num.2. Cuius duplicatio est in consobrinis & patruelibus ipsius uenditoris. hi enim in stirpes, non in capita uidentur admittendi. Quæ tamen duplicatio controuertitur d.gl.2.num.1.in prin.et num.2.uers.at in successione.item num.5.cum tribus sequentibus.Hæc de secunda regula.

III.Regula, De adoptiuis cognatis. His ius retractus non cõpetit.§.1.gl.8.num.16.cum sequente.

IIII.Regula, De cognatis spiritualibus. Nec hisce

hiſce competit ius retractus.d.gl.8.num.18.

V.Regula,De *Eccleſia ſeu monaſterio, quod cognatus,cui ius retractus cõpetit, eſt ingreſſus.* Huic *idem ius non competit. d.gl.8.num.20.* Vide *inſuper ſ.reg.1.except.10.*

V I.Regula,De *patre cognati. Huic tanquam administratori nomine filij ſui, qui ad poſtulandum eſt inhabilis, actio non denegabitur. §.1.gl.9.num. 75.& gl.10.num.98.& num.101.* Cuius exceptio prima eſt: Niſi *pater ſine mentione filij agat. §.10. gl.1.num.3.uerſ.& de patre.* Altera exceptio eſt: *Si filius nondũ ſit natus,ſed adhuc in utero. de qua re uide ſ.reg.1.except.15.& except.16.*

V I I.Regula,De *ipſo uenditore.Huic actio propoſita non datur. Quæ regula controuertitur quidem, ſed magis approbatur §.1.gl.9.num.30. cum undecim ſequentibus.* Cuius exceptio prima eſt: *Si nomine filij ſui impuberis uenditor agat. Quæ exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ propoſita ſunt ſ.reg.prox.* Altera exceptio eſt: *Si ſtatuto alienatio prohibita ſit. hoc enim caſu alienans eam poteſt retractare. Quæ exceptio controuertitur d.gl.9.num.42. cum ſequente.* Tertia exceptio eſt: *Si uenditione cognato uenditoris facta, emptor illam rem alij poſtea uendiderit. hoc enim caſu priori uenditori actio non eſt deneganda.d.gl.9.num.44.cum ſequente.* Cuius replica-

tio eſt: Si uenditio poſterior non ſponte, ſed ex neceßitate retractus facta ſit cognato proximiori. d. num.44.in fine. Quarta exceptio eſt: Si uenditione extraneo facta, cognatus uenditoris rem retraxerit,eamq; poſtea rurſus uēdiderit.nam & hoc caſu priori uenditori non eſt actio deneganda.d.gl. 9.num.46. Quinta exceptio eſt: Si quis cum nō ſuam,ſed cognati ſui rem uendidiſſet,poſtea cognato ſuo,cuius res fuit,hæres extiterit. Quæ exceptio controuertitur in fine libri num.100. cum duobus ſequentibus. Sexta exceptio eſt: Si uenditor tanquàm hæres cognati ſui,cui ius retractus competit, rem uelit retrahere.Quæ exceptio controuertitur, magisq; reprobatur in fine libri num.103. cum duobus ſequentibus.

VIII.Regula,De cognatis prioris & poſterioris uenditoris. Si emptor rem rurſus uendiderit:ipſius, non prioris uenditoris cognatis ius retractus competit. Quæ regula approbatur §.1.gl.10.num. 35.uerſ.quartum illo caſu. Cuius exceptio eſt: Si tempus prioris retractus prioris uenditoris cognatis non ſit finitum. tunc enim prioris uenditoris cognati poſterioris uenditoris cognatis præferuntur. d.uerſ.quartum.& §.11.gl.5.num.unico.

IX.Regula, Si plures, ueluti maritus & uxor, rem uendant:utriuſq; cognatis actio competit. §.1. gl.9.num.110. item §.31.gl.1. num.1. item §.32.gl.1. num.

num.100.in fine: & num.102.in fine. Cuius exceptio est: Si res uendita unius tantùm sit ex uenditoribus, non utriq; communis. tunc enim eius tantùm cognatis, cuius res est, competit retractus. d. num.110. & d.gl.9.num.266. item d.§.31.gl.1.num. 2.cum sequente.

X.Regula: *Si quis non suam, sed alienam rem consensu domini uendiderit: non uenditoris, sed domini cognatis ius retractus competit, exemplo dotis à marito uenditæ. §.1.gl.9.num.107. cum duobus sequentibus: ubi hoc cōtrouertitur. Sed & controuertitur §.32.gl.1.num.101.*

XI.Regula: *Si quis rem communem uendiderit, cognatis utriusq; socij competit ius retractus: nisi maritus bona constante matrimonio adquisita uendiderit. hoc enim casu, quamuis communia sint marito & uxori, tamen uxoris cognatis non competit actio. Quod quidem controuertitur, magis tamen approbatur §.32.gl.1.num.100. cum duobus sequentibus.*

XII.Regula, De *adfinibus uenditoris.* His *non competit ius retractus. §.14.gl.2.num.16. cum tribus sequentibus: & §.10. gl.1. num.2. cum sequente.*

XIII.Regula, De *hæredibus cognatorum uenditoris.* His *quoq; idem ius competit, quod defunctis competijt. in fine libri, num.ult.in fine.* Cu-

ius exceptio prima est:Si extraneus sit hæres ex testamento. §.26.gl.1 num.4.cum sequente, & num. 40. item in fine libri, num.105. Cuius replicatio est: Si hæres extraneus etiam ab intestato successurus fuisset defuncto. Quæ replicatio controuertitur,sed magis approbatur d.gl.1.num.6.cum tribus sequentibus. Altera exceptio est:Si uenditor ipse sit hæres eius,cui ius retractus competit. Quæ exceptio controuertitur, magisq; approbatur in fine libri,num.103.cum duobus sequentibus.de qua re dictum quoq; s̃.reg.7.except.6.

XIIII. *Regula, De eo cui à cognato uenditoris hæc actio cessa est.Huic actio non competit:cum ius hoc cedi non poßit. §.26.gl.1.num.1.cum tribus sequentibus. Nam ius hoc introductum est, ne res exeat de genere seu familia.d.gl.1.num.41.cum tribus sequentibus. Huius regulæ exceptio prima est: Si extraneus sit hæres cognati ex testamento, qui etiam ab intestato ei erat successurus. de qua re dictum s̃.reg.prox.except.1.repl.1. Altera exceptio est: Si unus tantùm cognatus uẽditoris superſit. hic enim ius suum extraneo cedere non prohibetur. Quæ exceptio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.1.num.10. cum sequente. Tertia exceptio est:Si cognatus,qui non est soluendo,creditori suo ius hoc in solutum cedat, uel creditor id ex causa iudicati capiat. Quæ exceptio controuer-*

titur

titur quidem, sed magis approbatur d.gl.1.num.12. cum tribus sequentibus. Quarta exceptio est: Si ob necessitatem famis cognatus hoc ius alteri cesserit uel uendiderit. d.gl.1.num.16. cum quindecim sequentibus. Quinta exceptio est: Si alius uenditoris cognatus non retrahat. hoc enim casu uidetur cessionario actio haec deneganda non esse. d.gl.1. num.10. cum sequente: & num.32. in fine. Sexta exceptio est: Si cedẽs ius retractus, simul etiam rem ipsam cesserit, cuius nomine retractus ei competit: puta si habeat ius retractus ob uicinum prædium, uel ob communionem rei, prædium hoc uel partem suam in re communi simul cum retractus iure extraneo cesserit. d.gl.1.num.39. cum sequente. Septima exceptio est: Si alij uenditoris cognato cessio sit facta. §.26.gl.2.num.1. Cuius replicatio prima est: Si alius proximior ipso cessionario retrahere uelit. d.gl.2.num.2. cum duobus sequentibus. Altera replicatio est: Si cessionarius non doceat se cognatum esse uenditoris. d.gl.2.num.16.

XV. Regula, De marito uxoris nomine agente. Huic quoq; competit actio. §.10.gl.1. & unica, num.1. de qua regula uide plura J. quæst.11.reg.4. except.1.repl.6.

XVI. Regula: Vxori sine consensu uel authoritate mariti hæc actio non competit. Quæ regula controuertitur & distinguitur §.10.gl.1.num.26. cum seq.

XVII. Regula, *De domino feudi alienati.* Huic *quoq; ius retractus competit. Quæ regula approbatur simul & distinguitur in tractatu meo feudali cap.5.quæst.1.causa 34.replicat.generali 2.*

XVIII. *Regula* : Emphyteusi *quoq; uendita, domino directo retractus nō denegatur, per ea quæ habentur* M.I.C. *lib.19. cap.9. quæst.6. causa 3. &* M.I R.*lib.5.cap.7.reg.22.*

XIX. Regula: *Vicino quoq; ius retractus competit ex constitutione* Imp.*Friderici de iure protomiseos, & ex speciali loci consuetudine.*

XX. Regula, De *socio rei uenditæ.* Huic etiam *ex dicta constitutione ius retractus competit.*

XXI. Regula, De *socio omnium bonorum adquirentis*. *Huic quoq; intra annum à soluta societate competit ius retractus in parte alteri socio adquisita, oblato pro rata precio. de qua re uide* 7. *quæst.11.reg.12.*

XXII. Regula, De *eo cui testator ius retractus in testamento legauit*. Huic *quoq; competit ius retractus, ita ut cognatis uenditoris sit præferendus, etiam non oblato precio.Quæ regula controuertitur in fine libri num.116.cum sequente.*

VI. ADVERSVS QVOS competit actio proposita?

Regulariter hæc actio non nisi aduersus emptorem

rem cōpetit. Cuius exceptio prima est: Nisi emptor rem rursus alienauerit. tunc enim aduersus possessorem, non priorem emptorem competit. §.8.gl.5. num.6. cum duobus sequentibus: & §.12.gl.1.num. 1. cum duobus sequentibus: & num.26. item §.27. Huius exceptionis replicatio prima est: Nisi prior emptor, postquam in ius uocatus est, eam rem rursus alienauerit. tunc enim aduersus ipsum actio non denegabitur. §.11.gl.5.num.1.uers. modò id fiat sine fraude. & §.12.gl.1.num.4.uers. nisi (inquiunt) & num.27. Altera replicatio uidetur: Nisi possessor titulo donationis rē poßideat. Quæ replicatio controuertitur, magisq́; reprobatur d.gl.1.num.4.cū sequente. Tertia replicatio est: Nisi res emptori à possessore sit euicta. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d.gl.1.num.ult. Quarta replicatio est: Nisi actor ignoret quis rem poßideat. §.27.& §.28.cum sua glossa. Hæc de prima propositæ regulæ exceptione. Altera eius exceptio est: Nisi emptor mortuus sit. tunc enim aduersus ipsius hæredem competit actio. §.1.gl.13.num.14. Tertia exceptio est: Nisi emptor uel possessor minorēnis sit. tunc enim aduersus ipsius tutorem uel curatorem competit actio. d.gl.13.num.24.

VII. PER QVOS COMpetit hæc actio?

Etiam per alium competit: puta per patrem cognati,

gnati, ut s̄.quæst.5.reg.6. item per maritum, ut d. quæst.5.reg.15. item per procuratorem, ut j̄.quæst. 11.reg.4.except.1.repl.1. cum aliquot sequentibus, ostensum.

VIII. APVD QVEM competit?

I.Regula: *Tam rei uenditæ quàm emptoris iudex pro arbitrio actoris potest adiri. Quæ regula controuertitur quidem, magis tamen approbatur §.8.gl.5.num.1.cum quatuordecim sequentibus.*

II.Regula: *Si alibi emptor domicilium habeat, & alibi habitet, in loco domicilij conueniri potest. d.gl.5.num.22.*

III.Regula: *Clericus emptor tam apud ciuilem quàm ecclesiasticum iudicem potest cōueniri. Quæ regula controuertitur d.gl.5.num.16.*

IIII.Regula: *Si plures res diuersarum iurisdictionum uno cōtractu uenditæ sunt: is iudex adeundus, in cuius iurisdictione res principalis sita est, cuius aliæ sunt accessiones: aut si æquè principales sunt, is iudex adeundus, in cuius iurisdictione maior pars est rerum uenditarum. Quæ regula controuertitur quidem, sed magis approbatur d.gl.5.num.17. & §.36.gl.3.num.1.cum duodecim sequentibus.*

IX. QVID QVANTVM'QVE VENIAT in hac actione petendum?

I.Regula: *Fructus quoq; à tempore litis contesta-*

te

tæ ueniunt restituendi.§.15.Quæ regula declaratur definitione fructuum d.§.15.gl.1.num.27. Item declaratur definitione litis contestationis d.§.15.gl.2. num.1.cum sequente. Huius regulæ exceptio prima est: Si reus fructus non perceperit. Cuius replicatio est: Si ab actore uel alio diligente patrefamiliâs percipi potuerunt.d.gl.1.num.28. Altera exceptio est: Si emptor sua industria & artificio uberiores fructus perceperit. d.gl.1.num.29. Tertia exceptio est: Si fructus ante litem contestatam fuerint percepti. d.§.15.gl.2.num.3. Cuius replicatio prima est: Si post oblationē uel citationem factā fructus fuerint percepti. Quæ tamen replicatio reprobatur d.gl.2.num.4. Altera replicatio est: Si tempore oblationis fructus pendeant.hi enim inter actorem & reum ueniunt diuidendi. d.gl.2.num. 20.de quo tamen uariant consuetudines lib.2.retractus.§.5.gl.1.num.unico. De qua re uide item ↓.lib. prox. quæst.8.reg.2.except.4. Tertia replicatio est in retractu cōuentionali. hoc enim casu fructus debentur statim à tempore oblationis.Quæ replicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur d.gl.2.num.15. cum sequente. Quarta replicatio est: Si cōtractus ob id,quia sit uitiosus,rescindatur. in fine libri, num.58. Quinta replicatio est: Si reus sua contumacia moratus sit litis contestationē. d.gl.2.num.5.cum duobus sequentibus. Cuius du

plicatio

plicatio prima est: Si reus iustam habuerit exceptionem dilatoriam. d. gl. 2. num. 8. Altera duplicatio est: Si etiamsi reus moram non fecisset, tamen per iudicem uel actorem stetisset, quo minus lis fuisset contestata. d. gl. 2. num. 9. cum quinq; sequentibus. Hæc de tertia exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Quarta exceptio est: Si actor post litem contestatam intra triennium non fuerit causam prosecutus. eius enim temporis fructus non debentur, quamuis actor ad causam ipsam in integrum restituatur. Quæ exceptio controuertitur quidem, sed magis approbatur d. gl. 2. num. 17. cum duobus sequentibus. Quinta exceptio est in fructibus tempore litis contestationis pendentibus. hi enim inter actorem & reum pro rata temporis sunt diuidendi. d. gl. 2. num. 21. Sexta exceptio uidetur: Si reus sit minorennis. Quæ exceptio reprobatur in fine libri num. 58. Septima exceptio est, Quòd fructus restituendi minuuntur deductione sumptuū in fructus factorum. §. 15. gl. 1. num. 1. Cuius replicatio prima uidetur in malæ fidei possessore, quòd is non deducat sumptus. Quæ tamen replicatio reprobatur d. gl. 1. num. 2. uers. subditurq;. & num. 8. uers. sed alijs iuribus. & num. 21. uers. nam & prædo. Altera replicatio uidetur: Si reus iubeatur integros fructus restituere. Quæ tamen replicatio est controuersa d. num. 8. cum sequente. Tertia

replicatio

replicatio est in solutione decimarum, in qua sumptus non deducuntur. d.gl.1.num.10. Cuius duplicatio prima est in decimis non prædialibus, sed personalibus, seu alicuius negociationis. d.gl.1.num.14. Altera duplicatio est in decimis, quæ Papæ debentur. Quæ duplicatio controuertitur d.gl.1.num.15. Quarta replicatio uidetur in solutione fructuum fisco facienda. Quæ tamen replicatio cõtrouertitur, magisq; reprobatur d.gl.1.num.11. cum sequente. Quinta replicatio uidetur in solutione fructuum Ecclesiæ facienda. Quæ & ipsa controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.1.num.13. Sexta replicatio est in legato fructuum, ex quo impensæ non deducendæ. d.gl.1.num.16. Septima replicatio est: Si certa quantitas uel mensura fructuum ex aliquo prædio debeatur. d.gl.1.num.17. & num.19. cum sequente. Octaua replicatio est: Si fructus pendentes siue extantes in aliquo agro donentur, uel ex alia dispositione debeantur. hi enim sine deductione impensarum soluendi sunt. d.gl.1.num.18. Nona replicatio est: Si reus suis sumptibus conditionem fructuum fecerit deteriorem: puta si fructus immaturos decerpserit. d.gl.1.num.21. Decima replicatio est: Si quis certam partem fructuum, puta dimidiam uel tertiam, uendiderit. d.gl.1.num.22. Vndecima replicatio est: Si aliquid iubeatur solui ex fructibus, puta sex denarij pro libra,

bra. d.gl.1.num.23. Duodecima replicatio est in sumptibus non quærendorũ colligendorúmue fructuum causa factis, sed ad perpetuam prædij utilitatem. Quæ replicatio cõtrouertitur d.gl.1.num.24. Decimatertia replicatio est in sumptibus pro custodia agri, domus aut castri factis, ne à furibus uel hostibus fructus diriperentur. Quæ replicatio cõtrouertitur d.gl.1.num.25. Decimaquarta replicatio est in sumptibus boum coëmptorum factis. d.gl.1.num.26. Decimaquinta replicatio est: Si reus fructus integros, non deductis sumptibus, uel exceptione sumptuum non opposita, restituit. Quæ replicatio reprobatur d.gl.1.num.ult. & lib.2. §.7.gl.1.num.7. Hæc de septima exceptione. Octaua propositæ regulæ exceptio est, quòd fructus minuuntur deductione precij operarum ipsius emptoris. d. §.15.gl.1.num.30. Hæc de prima regula.

I I. Regula, De *usufructu, qui proprietati uenditæ accessit. Hic quoq; actione proposita peti potest. in fine libri, num.112. Cuius regulæ exceptio prima est: Si emptor proprietatis usumfructum etiam ab usufructuario emerit. d. fine libri, num.113. uers. aut emit ab alio. Huius replicatio est: Si ab eo, à quo proprietatem emerat, usumfructum quoque emerit. hoc enim casu plena proprietas uenit restituenda, refuso tam proprietatis quàm usufructus precio. d. num.113. uers. cum uerò. Altera exceptio est:*

est:Si usufructuarius emerit proprietatē. hoc enim casu,quamuis extinctus sit usufructus, & cū proprietate consolidatus:tamen nō nisi proprietas uendita peti potest. Quæ exceptio controuertitur quidem , sed magis approbatur §.1.gl.7.num.62. cum decem sequentibus : & in fine libri, num.113. uers. sed tamen. Huius replicatio est: Si emptor in dolo fuerit, emens scilicet contra prohibitionem statuti uolentis rem immobilem emi non posse, nisi prius requisitis uenditoris cognatis.d.gl.7.num.67.uers. aut illa uerba.item num.72.in prin.

III.Regula, De re commissa , puta emphyteusi uel feudo,quod ex aliqua causa in commissum cecidit, & sic castro uendito accessit. Hæc quoq; res cū castro uendito peti potest.Quæ regula controuertitur , magis tamen approbatur in fine libri , num. 106. cum quinque sequentibus : item §.10.gl.unica, num.20.in fine.

IIII.Regula:Non nisi totam rem,uel omnes res uenditas actor petere potest . Ideoq; si partem rei uenditæ, uel pluribus rebus uenditis quasdam tantùm ex ijs uelit retrahere,exceptione submouetur. §.23. cum gl.1.num.1. cum octodecim sequentibus: & num.30. item gl.2.num.1. & num.2.in fine, cum sequente : item in fine libri num.63 . cum sequente. Cuius regulæ exceptio prima est : Si res plures diuersis precijs emptæ sint,precijs in singulas res di-

uisis. hoc enim casu tot erunt uenditiones, quot res rerumq́; precia. Ideoq; nō prohibetur actor unam rem ex pluribus eius precio oblato retrahere. d. gl. 1. num. 20. cum duobus sequentibus. Cuius exceptionis replicatio est: Si constet emptorem aut uenditorem non nisi omnes res empturum aut uenditurum fuisse. d. gl. 1. num. 23. cum sequente. Aut si omnes res pro uno debito in solutum datæ sint, precio in singulas res constituto. d. gl. 1. num. 25. cum duobus sequentibus. Planè replicatio hæc in casu posteriore denegatur, si solutio fiat non in iudicio, sed extra ex consensu partium. Quæ tamen duplicatio controuertitur d. gl. 1. num. 27. Altera propositæ regulæ exceptio est: Si actor integrum precium emptori refundere sit paratus. d. §. 23. uers. nisi refuso precio. Tertia exceptio est: Si actor alias res simul uenditas, quamuis uelit, non tamen possit retrahere. tunc enim retractus earum rerum, quas potest retrahere, ei non denegabitur. Quæ exceptio approbatur simul & exemplis declaratur §. 23. gl. 1. num. 30. & gl. 2. num 6. cum duobus sequentibus: & num. 10. Sed & huius exemplum est, si duo rem communem uendiderint. hoc enim casu cognati alterutrius uenditoris non nisi partem, quæ fuit sui cognati, retrahere possunt. d. num. 30. & d. num. 6. cum duobus sequentibus: & d. num. 10. Aliud exemplum est in domino feudum suum cum alijs rebus

uenditum

uenditum retrahēte. d.gl.2.num.1.cum quatuor sequentibus. Aliud exemplum est, si duobus prædijs uno precio uenditis, uicinus ratione uicinitatis uelit prædium uicinum retrahere, & alterum quod sibi uicinum non est, emptori relinquere. d.gl.2. num.2. Aliud exemplum est in pluribus dominis feudi uenditi, quorum quilibet suam tantùm partem in feudo uendito retrahere potest. Ideoq; eam tantùm retrahēs proposita exceptione iuuatur. Quod tamen controuertitur d.gl.2.num.4. cum sequente. Planè propositæ exceptionis replicatio prima est: Si emptor totum uel omnes res emptas actori offerat retrahendas, & sic hac in parte iuri suo renunciet. hoc enim casu, nisi actor totum uel omnes res simul retrahat, proposita exceptione non iuuatur. d.gl.2.num.3. uers.quod si sint. ibi: nisi emptor ei totum offerat. & num.9. item lib.2. retract. §.1. gl.6. num.30. cum duobus sequentibus. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Si actor ab unius rei petitione tempore sit exclusus, uel aliàs exceptione aliqua repellatur. hoc enim casu alteram rem uel partem petens exceptione proposita non iuuatur, sed ab una re uel parte exclusus, ab omnibus rebus uno precio emptis, uel à toto exclusus censetur. in fine libri num.62. cum quatuor sequentibus. Hæc de tertia exceptione. Quarta propositæ regulæ exceptio est: Si plures sint em-

 ptores.

ptores. hoc enim casu actor ab uno partem ipsius retrahere potest, quamuis alijs suas partes relinquat. §.23.gl.1.num.31. & lib.2.retractus. §.1.gl.6. num.ult. Quinta exceptio est: Si uenditor rem sibi cum actore communem in solidum uendidit, uel rem actoris cum sua. hoc enim casu actor partem tantùm uel rem uenditoris retrahere potest, sine sua parte uel re. Quæ exceptio controuertitur d.gl.1. num.32. cùm duobus sequentibus. Cuius replicatio uidetur: Si uenditor utranq; rem uel partem possederit. Sed & hæc replicatio controuertitur d.gl.1.num.35. cum sequente. Ex his patet, quibus casibus actor non totum quod uenditum est, sed partem, uel nõ omnes res uenditas, sed quasdam retrahere posit, proposita regula non obstante. In quibus casibus quæri solet, quantum precium emptori ab actore sit offerendum? Et respondetur in casu, quo feudis diuersorum dominorum uno precio uenditis, unus ex dominis suum tantùm feudum retrahere uolet, precium feudi retrahendi licitationi emptoris permitti, electione domino reseruata, utrum laudimia accipere, an feudum suum retrahere uelit. §.24. Nec potest dominus hoc casu conqueri, iniustam esse licitationem, petens eam arbitrio iudicis permitti. d. §.24. gl.unica, num.2. cum sequente. Planè si euidens fraus aut iniquitas emptoris in licitatione appareat: dicendum, petitionem

domini

domini esse admittendam. d.gl.unica,num.4. cum duobus sequentibus. Sed & si feudum cognato uenditoris uenditum sit, domino retractus denegabitur, & æstimatio laudimiorum arbitrio iudicis permittitur. d.gl.unica,num.1. Plura de licitatione & electione iam dicta uide M.I.R.*lib.4.cap.10.reg.38.*

V.*Regula: Si plures simul ad retractum ueniant: pro qua parte singulis competat actio, dictum est* s̄.*quæst.5.reg.2. Sed etsi cognato suo quis rem suam uendiderit, cæteri eiusdem gradus cognati ad retractum pro rata admittuntur. de qua re dictum* s̄.*quæst.4.except.14.*

VI. *Regula: Arbores etiam pendente anno retractus ab emptore cæsæ in hac actione ueniunt præstandæ. lib.2. retractus. §.3. gl.unica, num.23. in fine.*

X. QVANDO ET QVAMdiu actio proposita competit?

I.*Regula: Si re sub conditione uendita, conditio uenditionis adhuc pendeat: nondum actio proposita competit, per ea quæ dicta sunt* s̄. *quæst.4. except.62.*

II.*Regula: Si actor intra legitimum tempus non egerit: postea agenti obstat temporis præscriptio. §.1.gl.10.num.19. & num.35.uers.secundum. Declaratur regula proposita definitione temporis legiti-*

mi d.gl.10.num.3.cũ ſex ſequentibus. ubi annus & dies ad rem uenditã retrahendam conſtituitur. Declaratur item *definitione anni d.gl.10. num.1. cum ſequente. item definitione diei §.1.gl.11.num.1.cum quindecim ſequentibus.* Planè *declaratio iam dicta de anno & die controuertitur, & à quibuſdã pro anno & die conſtituuntur anni triginta, d.gl.10. num.10.num.15.et num.35.in prin.* Niſi *à tertio poſſeſſore res retrahatur, qui titulo poßidet. hoc enim caſu inter præſentes quidem decem, inter abſentes autem uiginti annorum præſcriptione actor ſubmouetur.d.gl.10.num.11.cum quatuor ſequentibus: & num.35.uerſ.& intra decem.Sed & hæc præſcriptio decem uel uiginti annorum à quibuſdam etiam ipſi emptori, eiusq; hæredibus datur. d.gl.10. num.16. cum ſequente.* Planè *propoſitæ regulæ exceptio prima eſt: Si ſtatuto uel conſuetudine breuius aut longius tempus retractui præſtituatur.hoc enim ſeruandum eſt.d.gl.10.num.3.in prin.et num. 19.item num.35.uerſ.ſecundum. cuius exemplum habetur in fine libri, num.66.* Altera *exceptio eſt: Si reus non toto tempore legitimo rem poſſederit. Cuius replicatio eſt: Si acceßione ſui authoris uſus tempus legitimum compleuerit. d.gl.10. num.18. Tertia exceptio eſt: Si finito tempore emptor actorem interpellauerit ad retrahendum. d.gl.10.num. 20.& num.35.uerſ.tertium.* Cuius *replicatio prima*

ma est: Si emptor errans aut ignorans tempus esse finitum, actorem interpellauerit. d.gl.10. num.21. cum sequente: & d.uers.tertium, in fine. Altera replicatio est: Si interpellatus ab emptore actor non statim, uel non intra octo dies rem retraxerit. d.gl.10.num.23. cum duobus sequentibus. uel nõ intra annum ad summum. d.gl.10.num.26. cum duobus sequentibus. Tertia replicatio est: Si cum in interpellatione certum tempus actori esset definitum, intra illud non retraxerit. d.gl.10. num.29. Quarta replicatio est, quòd factum emptoris eius consanguineis retrahere uolentibus non obstet, nec domino laudimia petenti. de qua re uide J. except. prox.repl.1. Hæc de tertia exceptione. Quarta propositæ regulæ exceptio est: Si tempus consensu emptoris & actoris sit prorogatum. Quæ exceptio controuertitur quidem, sed magis approbatur d.gl.10.num.30.in prin. Cuius replicatio est, quòd prorogatio hæc cognatis emptoris retrahere uolẽtibus non præiudicet, nec domino laudimia tanquam ex noua uenditione petenti. d.num.[illegible]o. uers. illud planè, cum duobus sequentibus: & num.35. uers quartum. Quinta exceptio est: Si cum cognatus uenditoris intra tempus retractus dixisset emptori, se rem retracturum, emptor illi responderit: Venias quando, uel toties quoties uolueris, ego te libenter admittam. Sed hæc exceptio reprobatur
 d.gl.

d.gl.10.num.33. cum ſequente: item num.35.in fine. Sexta exceptio eſt: Si inter emptorem & uenditorem, uel alium aliquem de re uendita lis fuerit. hoc enim caſu ante finem litis tempus retractus actori currere non uidetur. Quæ exceptio controuertitur d.gl.10.num.36. cum tribus ſequentibus: & reprobatur d.gl.10.num.39.item in fine libri,num.1.cum ſequente. Cuius exceptionis reprobatæ exemplũ eſt: Si proximiores agant ad retrahendum. hoc enim caſu remotioribus cognatis nihilominus tempus retractus currit. d.gl.10.num.120. in fine. Niſi colluſio appareat inter proximiores agentes & ipſum emptorem.d.gl.10.num.121.cum ſequente.de qua re uide item j. except.11. Septima exceptio eſt: Si inter actorem & reum de eadem re ex alia cauſa lis ſit.hoc enim caſu,pendente illa lite,tempus retractus currere non uidetur. d.gl.10. num.40. cum duobus ſequentibus. Cuius replicatio eſt:Si actor dolo litem mouerit,ne tempus illi curreret. d. gl.10.num.43. Octaua exceptio eſt: Si uenditione ſub conditione facta, conditio nondum extiterit. interim enim tempus retractus nõ currit. Quæ exceptio controuertitur quidem,ſed magis approbatur d.gl.10. num.44. cum tredecim ſequentibus. Cuius replicatio eſt: Si ante exiſtentem conditionem traditio rei uenditæ emptori ſit facta.d gl. 10.num.55. uerſ.id quod tamen uelim, cum num.ſequente.

quente. Huius duplicatio prima est: Si traditio facta actorem latuerit. d.gl.10. num.56. Altera duplicatio est; Si & ipsa traditio sub conditione facta fuerit. d.num.55.in fine. Nona exceptio est: Si uenditio cum pacto legis commissariæ uel addictionis in diem facta fuerit. tunc enim tempus retractus non currit, quamdiu uenditio potest resolui. Quæ exceptio approbatur & distinguitur d.gl.10. num.58. Decima exceptio est; Si uenditio facta sit cum pacto retrouendendi intra certum tempus. hoc enim casu non nisi finito illo tempore retractus tempus currere incipit. Quæ exceptio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.10.num.59. & lib.2.retractus. §.2.gl.unica,num.1. cum sequentibus, usq; ad num.84. Vndecima exceptio uidetur: Si alij proximiores sint cognati uenditoris, quàm actor. hoc enim casu, quamdiu proximiores retrahere possunt, remotiori tempus currere non uidetur. Quæ tamen exceptio reprobatur d.gl.10. num.60.cum tribus sequentibus.ubi etiam additur, ob hanc rationem proximiores à remotioribus cogi non posse ut agant. reprobatur item exceptio hæc §.11,gl.4.num.4. Admittitur tamen exceptio, si proximiores agentes cum emptore in fraudem remotiorũ colludant.d.gl.10.num.121.cum sequente. Vide item s̃. except.6. Duodecima exceptio est: Si re à non domino uendita,dominus rei uenditionem

tionem istam post aliquod tempus ratam habuerit. hoc enim casu non à die uenditionis, sed à die ratihabitionis tempus retractus currit. Quae exceptio controuertitur quidem, sed magis approbatur d. gl.10.num.64. cum decem sequentibus. Decima tertia exceptio uidetur: Si actor nondum obtulit precium emptori. nam à tempore oblationis, non uēditionis, tempus retractus currere uidetur. Quae exceptio controuertitur, magisq; reprobatur §.1. gl.9. num.106. & lib.2. §.1. gl.7. num.37. cum sequente. Decimaquarta exceptio est: Si notificatio uenditionis apud acta non sit facta. hoc enim casu non currit tempus retractus. §.1.gl.10.num.15.in prin. & §.36.gl.1.num.2. cum sequente. Declaratur haec exceptio d. §.36. gl.2.num.1. Cuius replicatio prima est: Si actor aliunde certus est de contractu uenditionis. Quae replicatio cōtrouertitur, magisq; reprobatur d.gl.2.num.24. cum quinq; sequētibus. Idq; eo magis, si non plena fuerit actoris scientia. d.gl.2.num.30. cum sequente. Altera replicatio est: Si triginta anni à die uenditionis excesserint. hoc enim casu exceptioni propositae locus amplius non est. d.gl.2. num.36. cum quinq; sequentibus. Tertia replicatio est: Si lex uel consuetudo notificationem non requirat. tunc enim statim à tempore uenditionis tempus retractus currit. d.gl. 2.num.42. Quarta replicatio est: Si emptor actori per

ri per notarium & testes uenditionem denunciauerit. Quæ replicatio controuertitur d.gl.2.num.56. cum quatuor sequentibus. Decimaquinta exceptio est: Si notificatio in genere facta sit sine declaratione precij & aliorum. d.gl.2.num.32. cum tribus sequentibus. Decimasexta exceptio est: Si in notificatione uerum rei uenditæ precium non sit declaratum. d.gl.2.num.2. cum sequente. Decimaseptima exceptio est: Si notificatio ab alio quàm emptore sit facta sine mandato. Quæ exceptio controuertitur quidem, sed magis approbatur d.gl.2. num.4. cum septem sequentibus: item num.12. in prin. Cuius replicatio prima uidetur: Si notificatio facta sit per coniunctam personam. Sed controuertitur, magisq́; reprobatur d.gl.2. num.14. Altera replicatio est: Si notificatio facta sit à secundo emptore. d.gl.2.num.17. Tertia replicatio est: Si notificatio facta sit ab eo cuius interest. Quæ replicatio controuertitur, magisq́; approbatur d.gl.2.num.18. cum duobus sequentibus. Planè quamuis hic cuius interest, notificare non posset, cogere tamen emptorem potest ad notificandũ. d.gl.2.num.21. Decimaoctaua exceptio est: Si notificatio facta sit ab eo qui generale, non speciale habet mandatum. Quæ exceptio controuertitur, magisq́; approbatur d.gl.2.num.12. cum sequente. Decimanona exceptio est: Si is qui nomine emptoris notificationem

ficationem facit, literas mandati nondum receperit, uel ignoret sibi mandatum esse. d.gl.2.num.15. Vicesima exceptio est: Si is qui notificationem nomine emptoris facit, taceat nomen procuratoris. d. gl.2.num.16. Vicesimaprima exceptio est: Si notificatio sit facta ob aliud, uel in alium finem, quàm retractus causa.d.gl.2.num.22.cum sequente. Vicesimasecunda exceptio est: Si notificatio à notario non sit in acta relata. Quæ exceptio controuertitur, magisq; approbatur d.gl.2.num.43.cum tribus sequentibus. Cuius replicatio est: Si dolo actoris in acta non sit relata. d.gl.2.num.47. Vicesimatertia exceptio est: Si notificatio sit facta die dominico, uel alio diuis sacro. Quæ exceptio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.2.num.54. cum sequente. Vicesimaquarta exceptio est: Si notificatio non sit facta eo loco, in quo res est sita. §.36. uers. iurisdictionis in qua situm est. Huius replicatio prima est: Si annui reditus uel nomina uendita sint. hoc enim casu sufficit ibi notificationem fieri, ubi debitores forum sortiuntur. Quæ replicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur d.§. 36.gl.3.num.14. cum tribus sequentibus. Altera replicatio est: Si dubitetur de iurisdictione rei uenditæ, cuius sit. Quæ replicatio reprobatur d.gl.3. num.ult. Vicesimaquinta exceptio est: Si pluribus rebus diuersarum iurisdictionum uenditis, non

in

in omnium iuriſdictionibus notificatio ſit facta. Quæ exceptio controuertitur quidem, ſed magis approbatur ſimul & diſtinguitur d.gl.3. num.1. cum duodecim ſequentibus. Cuius replicatio eſt: Si ubi res principalis, aut maior pars rerum uenditarũ ſita eſt, notificatio ſit facta. hæc enim ſufficit, quamuis non ſit facta in loco, in quo pertinentiæ ſunt ſitæ, aut minor pars. d.gl.3.num.4. cũ octo ſequentibus. Viceſimaſexta exceptio eſt: Si notificatio ſit facta in iuriſdictione mediata, non immediata: puta apud præſidem prouinciæ, nõ apud defenſorem ciuitatis. d.gl.3.num.18. cum ſequente. Viceſimaſeptima exceptio eſt: Si re feudali uendita, non etiam apud dominum feudi notificatio ſit facta. Quæ exceptio controuertitur quidem, ſed magis approbatur d.gl.3.num.20. cum ſeptem ſequentibus. Hæc de exceptionibus deſumptis ex circumſtantijs notificationis ſint dicta. Quarum replicationes generales uide paulò ſuperius except.14. Viceſimaoctaua exceptio eſt: Si actor ignorauit uenditionem eſſe factam. nam ignoranti tempus retractus currere non uidetur. Quæ tamen exceptio cõtrouertitur, magiſq́; reprobatur §.35.gl.4.num. 1. cum 28 ſequentibus: item num.34. cum ſequente. Admittitur tamen exceptio hæc, primùm quidem, ſi ex dolo aduerſarij, cuius intereſt, ignorantia cauſam habuerit. d.gl.4.num.30. cum duobus ſequentibus.

tibus. Deinde admittitur, si ex dolo uel facto tertij ignorantia causam habuerit. d. gl. 4. num. 33. Tertiò admittitur beneficiò restitutionis in integrum ex clausula generali, Si qua mihi iusta causa esse uidebitur. Quae distinctio controuertitur, magisq; reprobatur d. gl. 4. num. 34. cum sequentibus, usq; ad finem glossae. Vicesimanona exceptio uidetur: Si actor fuerit minor uigintiquinq; annis. Sed reprobatur §. 35. in uerbo Minores, cum sua glossa 2. num. 1. cum decem sequentibus: ubi etiàm in integrum restitutio minori aduersus lapsum temporis denegatur. Sed posito ei in integrum restitutionem non esse denegandam: ea tamen esset petenda non intra quadriennium, ex quo uicesimumquintum annum compleuisset, uerùm intra annum tantùm & diem. d. gl. 2. num. 12. cum sequente. Tricesima exceptio uidetur: Si actor fuerit absens. Sed & haec exceptio reprobatur d. §. 35. in uerbo Praesentes aut absentes, cum sua glossa 3. num. 1. cum sequente. Tricesimaprima exceptio est: Si cum emptor rem emptam alteri cessisset, non indicauerit actori cui cessio sit facta. interim enim actori tempus retractus non currit. §. 12. gl. 2. num. 1. cum quinque sequentibus: item §. 27. & §. 28. gl. 1. num. unico. Cuius replicatio est: Si insignis negligentia ipsius actoris interuenerit. d. §. 12. gl. 3. num. 1. Tricesimasecunda exceptio est: Si intra legitimum tempus

actio

actio in iudicium deducta sit, reusq́; citatus. tunc enim interrumpitur præscriptio, & perpetuatur actio uel sola citatione, multò magis litis contestatione. §.1.gl.10.num.75. & §.8.gl.2.num.1.in fine, & & num.2.in prin. Cuius replicatio prima est: Si dies in citatione præstitutus, post tempus retractus cedat. Quæ tamen replicatio reprobatur d.§.8.gl. 2.num.2. Admittitur tamen, si tempus præstitutum excedat quadraginta dies. d.gl.2.num.7. Altera replicatio est: Si citatio sit generalis, non specialis. d.gl.2.num.3. cum tribus sequentibus: & §.9.gl.2. num.19. uers.quid enim. Tertia replicatio est: Si forma citationis à statuto præscripta non sit obseruata.d.num.3.cum tribus sequentibus: & d.§.8.gl. 3.num.1. Quarta replicatio est: Si citatio non sit facta ab apparitore ordinario, sed ab alio sine mandato.d.§.8.gl.4.num.1. Quinta replicatio est: Si actor ad diem constitutum in citatione non adest in iudicio. tunc enim per citationem præscriptio non censetur interrupta.§.8.gl.2.num.8.item in fine libri, num.62. Cuius duplicatio prima uidetur: Si cum res uenditæ in diuersis iurisdictionibus sitæ essent, & ad iudices istarum rerum diuersos reum citari fecisset actor: apud unum iudicem die statuto actor comparuerit. tunc enim, quamuis apud alterum iudicem die statuto non comparuerit, non tamen iam dicta replicatio ei uidetur obesse. Sed hæc

duplicatio

duplicatio reprobatur in fine libri, num.62. cum tribus sequentibus. Altera propositæ replicationis duplicatio uidetur: Si iudex actori diem prorogauerit, uel modico tempore expectauerit. Quæ tamen duplicatio controuertitur §.8. gl.2. num.9. cum quinq; sequentibus. Sexta replicatio est: Si actor factæ citationi renunciauit. d.gl.2. num.15. Septima replicatio est: Si citatio non fuerit ritè facta, uel litis contestatio fuerit inualida, aut exemplum citationis citato non datum. d.gl.2. num.16. item §.1.gl.10.num.85. cum sequente. Octaua replicatio est: Si post cessationem ab actore factam tantum temporis effluxerit, quantum retractui est constitutum. Quæ replicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur §.1.gl.10. num.76.cum octo sequentibus. Plures huiusmodi replicationes uide ĵ.quæst.prox.reg.4. except.1. cum sequentib. Tricesimatertia exceptio uidetur: Si res ex causa uenditionis nondum fuerit tradita. hoc enim casu tempus actori currere non uidetur. Quæ exceptio cõtrouertitur, magisq́; reprobatur §.1.gl.10.num.112. cum quinq; sequentibus. Consuetudine tamen dicitur contrarium obtinere §.36.gl.1.num.1. Tricesimaquarta exceptio est: Si ita res sit uendita, ut dominium eius non nisi post mortem uenditoris ad emptorem transiret. hoc enim casu non nisi mortuo uenditore tempus retractus uidetur currere.

Quæ

Quæ exceptio controuertitur,magisq; reprobatur d.gl.10.num.118. cum sequente. Tricesimaquinta exceptio est: Si dies intercalaris in tempus retractus incidat. hic enim uidetur tempus retractus augere. Quæ exceptio controuertitur quidem,sed magis approbatur d.gl.10.num.123. itē §.3. gl.2. num. ult. Tricesimasexta exceptio uidetur: Si cum ex duobus cognatis uenditoris eiusdem gradus unus alteri mandasset, ut rem uenditam retraheret, postea mandator ipse retraxerit. hoc enim casu mandatario etiam post tempus retractus finitum aduersus mandatorem actio uidetur competere ad rem retractam communicandam. Quæ exceptio reprobatur sub conditione §.11.gl.10.num.ult. Tricesimaseptima exceptio est: Si excluso eo die,quo uenditio uel notificatio facta est,tempus retractui præstitutum nondum sit completum. Quæ exceptio cōtrouertitur, utrum scilicet dies termini computetur in termino? & distinguitur §.1. gl.11. num.17. cum sequētibus,usq; ad num.66.item §.3.gl.2.num. 5. Tricesimaoctaua exceptio est: Si ultimus dies termini nondum sit completus. d.gl.11,num.27.& num.66.cum sequentibus,usq; ad finem glossæ. ubi propositis particulis,usq;,ad,ultra,citra,& similibus, differitur, utrum sint inclusiuæ, an exclusiuæ. Hæc de temporis præscriptione, cuius plures exceptiones uide J.quæst.prox.reg.4.except.19.

XI. ANTECEDENTIA ET adiuncta huius actionis.

I. Regula: *Omnia retractus solennia ab actore sunt obseruanda: uidelicet generis recẽsio, aut eius recensionis oblatio: precij oblatio, & residui pollicitatio: requisitio, ut consanguineus admittatur ad retractum: citatio formalis (quam uocant) in causa retractus, & recusatæ pecuniæ. §.8. Quæ omnia nisi obseruata fuerint, retrahens retractu cadit. de qua exceptione eiusq; replicationibus dictum s. quæst.4.except.75. Sed & de singulis istis solennibus dicetur in regulis sequentibus.*

II. Regula: *Prima igitur solennitas seu officium actoris est generis recensio. Cui concordat §.1. uers. genusq; suum. Nec sufficit actori, se cognatum uenditoris dicere & probare, sed etiam gradum cognationis ponere ac probare debet. d. §.1. gl.16. num.1. cum octo sequentibus: & §.11. gl.1. num.9. cum sequente.*

III. Regula: *Alterum actoris officium est, precij oblatio. Nisi ergo actor precium, quo res uendita est, obtulerit, exceptione submouetur. d. §.8. & §.2. gl.1. num.7. uers. ut intra tempus. item in fine libri, num. ult. Nec sufficit uerbalis oblatio, sed ad manum actor debet habere pecuniam. Quanquã hoc controuertitur §.1. gl.17. num.8. & §.3. gl.3. num.1. Sed & non sufficit fideiussores aut pignora offerre. d.*

Marginalia: 9. Except. reprobatur. — 8. Except. reprobatur.

re.d.gl.3.num.14.cum tribus sequentib. Neq; compensatio sufficit. Quanquam hoc controuertitur & distinguitur d.gl.3.num.2.cum undecim sequentibus. Illud tamen actorem à precij oblatione releuat, si dicat emptorem nondum uenditori preciũ soluisse. Quod quidem controuertitur, sed magis approbatur & distinguitur §.1. gl.18.num.32.cum septendecim sequentibus. Sed & si emptor ex iusta causa uenditori precium soluere non tenetur, nihilominus illi ab actore precium est offerendum. d.§.1.gl.2.num.ult. Quatenus autem credendum sit confeßioni uenditoris de precio sibi soluto, controuertitur d.gl.18.num.78.cum tredecim sequentibus. Itẽ quatenus schedulæ de hoc sit credendum, differitur d.gl.18.num.92. cum sequente. Præterea si actor de precio, quo res uenit, sit incertus, in mora soluẽdi esse non uidetur, nec proposita exceptione submouendus. §.1.gl.19.num.1. modò fideiussores offerat, se precium, cum liquidum fuerit, soluturum. d.gl.19.num.2.& num.3.in fine: item §.3.gl.3.num.15.in fine. Si tamen diues sit actor, & ad soluendum idoneus, aut minimè suspectus, sufficit uerbalis precij oblatio etiam sine fideiussoribus. d.gl.19.num.3. Sed & sufficit dicere, se paratum statim satisdare, licet præsentes fideiussores non offerat. Quanquam hoc controuertitur d.gl.19.num.4.cum duobus sequentibus. Plura de exceptione proposita uide J.

3. Except. cõtrouertitur.

4. Except.

5. Except.

6.Except. *reg. prox. except.8. repl.5. Si insuper actori instrumentum contractus emptor non exhibuerit, dicendum actorem exceptione precij non oblati submouendum non esse, nec tempus offerendi precij, de quo ỹ.dicetur, currere. §.2.gl.1.num.1. cũ quinque sequentibus: & §.3.gl.1.num.1. item §.22.gl.1.*

7.Except. *num.1. Quod etiam dicendum, si exhibuerit quidem instrumentum emptor, sed id legendum actori non dedit. §.2.gl.1.num.7. Nisi fortè, cum emptor id offerret, per actorem steterit, quo minus legeret.*

8.Except. *d.gl.1. num.8. cum sequente. Non autem sufficit exemplum instrumẽti actori exhibere, sed authenticum ipsum exhibendum est. d.gl.1.num.10. Planè si nullum instrumentum super contractu confectũ sit, per testes precium probandum est. d.gl.1.num. 11. cum duodecim sequentibus: ubi tamen hoc controuertitur. Testibus autem & instrumento simul deficientibus, utrum credendum sit uenditori & emptori de quantitate precij deponentibus, arbitrio iudicis relinquitur. d.gl.1.num.24. cum tribus sequentibus. Quod etiam dicendum, si instrumentum quidem de uenditione sit confectum, quod tamen precium non exprimat, prӕterquam quòd contineat, uenditorem fuisse confessum, se antea preciũ partemue ipsius accepisse. d.gl.1. num.28. Quòd si de uenditione non publicum instrumentum sit confectum, sed priuata solùm uenditoris scriptura, in qua*

in qua preciũ expreſſum eſt: emptor ſatisfacit eam actori oſtendendo, & affirmando per iuſiurandum uerum precium in ea contineri.d.gl.1.num.29.cum ſequente. Prætereà *actor exceptione precij non* 9.Except.
oblati non ſubmouetur,nec ei tempus currit,ſi emptor iuſiurandum de precio non præſtiterit.§.2.gl. 2.num.1. & num.ult. Planè *ſi emptor ſit mortuus, hæres eius iurare non cogitur.Quod tamen controuertitur & diſtinguitur d.gl.2.num.2.cum octo ſequentibus.Etſi autem emptor rem alij uendidit,nihilominus iurare debet. d.gl.2.num.11 & 13.cum ſequente. Sed & actori exceptio precij non obla-* 10.Except.
ti non obſtat, ſi probet non uerum precium ab emptore indicatum,& ſic de ueritate precij litigetur. §.4.gl.2. Si tamen in probatione actor defecerit, curret aduerſus eum tempus,nec amplius ad retractum admittetur.§.4.gl.3.quamuis probabiliter de ueritate precij dubitauit. d.gl.3.num.3. Sed & ſi 11.Except.
emptor actorem ad retractum recuſat admittere, exceptio non oblati precij actori interim non obſtabit,nec tempus offerendi precij ei curret. §.3.gl. 2.num.1. cum tribus ſequentibus. Porrò *offerre* 12.Except.
actor precium debet, etiam antequam à reo petatur. Quanquam & hoc controuertitur §.1.gl.17. num.1. cum quinq; ſequentibus. Item *ſuis ſum-* 13.Except.
ptibus debet offerre. d.gl.17.num.7. Si *uerò pe-* 14.Except.
cunia,quam oblaturus erat actor, perierit: ſiquidẽ

per emptorem ſteterit, quo minus oblatam pecuniã acciperet, actori exceptio propoſita non nocebit: ſin minus, periculum actoris erit, nec replicatione interitus aduerſus exceptionem propoſitam iuua-
19 Except. *bitur. §.1. gl.12. num.2. Præterea ſi emptor, cui oblatio fieri debet, non comparet, non nocebit acto ri exceptio propoſita, nec tempus ei curret, ſi nec domicilium, nec uxorem, nec procuratorẽ emptor*
Repl.1. *habeat. §.1.gl.10. num.ult. Secus ſi abſens domicilium, uxorem, uel procuratorem præſentem habeat. tunc enim abſente emptore iſtis offerendum eſt. §.1. gl.12. num.1. in fine: & §.9. gl.3. num.1. de qua re uide item j. reg. prox. except.5. repl.3. cum*
Repl.2. *ſequentibus. Sed & iſtis deficientibus, ipſi iudici oblatio fieri debet, ne actori exceptio propoſita noceat. §.1.gl.13. num.21. uerſ. ego uerò. item §.9. gl.3. num.17. cum ſex ſequentibus. ubi tamen hoc*
Repl.3. *controuertitur. Sed & nonnulli uolunt, non niſi proteſtatione interpoſita actori replicationem abſentiæ emptoris prodeſſe. d.gl.3.num.19 uerſ.cautius tamen. Quorum tamen ſententia etiam eſt controuerſa d.gl.3. num.20. cum duobus ſequentibus.*
Repl.4. *Quidam etiam uolunt, non ſemel tantùm, ſed pluries proteſtandum eſſe. d.gl.3.num.21. uerſ. quæ etiã dicit. Quæ tamen ſententia reprobatur d.gl.3.num.*
Repl.5. *23. Sed & ut actori aduerſus exceptionem precij non oblati replicatio abſentiæ ipſius emptoris*
proſit,

profit, uideri poteſt precium ab eo conſignandum ac deponendum eſſe. Quod tamen non eſſe neceſſarium, dicitur d.gl.3.num.24. de qua re uide plura ℑ. reg.5. Præterea non prodeſt actori replicatio iam dicta, ſi emptor poſtea compareat, nec actor eũ conueniat, eiq́; faciat oblationẽ. d.gl.3.num.25. Imò ſi tempus retractus elapſum eſt, non negligenter ipſum conuenire, eiq́; offerre debet. d.num.25. cum ſequente. Quid autem ſit non negligenter conuenire & offerre, arbitrio iudicis relinquitur definiendum, d.gl.3.num.26. uerſ. id autem totum. Cui arbitrio regula præſcribitur d.num.26. uerſ. arbitrari autem Hæc de decimaquinta propoſitæ regulæ exceptione ſint dicta. Cui ſimilis eſt hæc exceptio, ſi emptor mortuus ſit, eiuſq́; hæreditas nondum ſit adita. nam & hoc caſu actor precium intra ſtatutum tempus non offerens, per exceptionem precij non oblati non ſubmouetur. §.1 gl.13.num.37. Planè ſi curator bonis ſit datus, huic offerendum eſt. d. num.37. Sed & iiſdem replicationibus hæc exceptio emptoris mortui eliditur, quibus etiam ſuperior proxima, per §.9.gl.3.num.ult. Excuſatur inſuper actor precium non offerens, ſi emptor, uel emptoris hæres pupillus ſit, infans, uel furioſus, aut aliâs talis, cui offerri uel ſolui non poſſit. §.1.gl.13. num.21. Idem dicendum, ſi propter hoſtes aut aliam difficultatem actor precium offerre non poſ-

Repl.6. 16.Except. 17.Except. 18.Except.

ſit. Quanquam hoc controuertitur §.1.gl.10.num. 124.cum duobus ſequentibus: item §.3.gl.4.num.5. cum ſequente. Hæc de tertia regula, ſeu potius de exceptione precij non oblati, eiusq; replicationibus ſint dicta.

IIII. Regula: *Non ſufficit autem actori offerre preciũ, ſed rectè eum offerre oportet: alioquin adhuc dicendum, exceptionem ei obſtare: quia in iure paria ſunt, aliquid nõ eſſe factum, & non rectè factum eſſe. Qui uerò dicit, non rectè precium eſſe oblatum, ei probatio eius quod dicit incumbit. l. ab ea parte.5. ff. de probationibus. Quæ probatio ſumitur ex ſequentibus exceptionibus. Nam præſumptio hæc, Rectè ab actore oblatum eſſe preciũ: eliditur quibuſdam exceptionibus, deſumptis partim ex perſona offerentis precium, partim ex perſona eius cui oblatio facta eſt, partim ex re oblata, partim deniq; ex loco, item ex tempore quo oblatum eſt precium: quæ omnes circumſtantiæ excipiendi materiam aduerſus precij oblationem et aduerſus actionem propoſitam ſuppeditant, quorum*
1.Except. *generum ſpecies ordine uidebimus. Sit igitur prima propoſitæ præſumptionis exceptio ex perſona offerentis deſumpta hæc: Si alius quàm actor precium emptori offerat. Quæ exceptio controuertitur quidem, ſed magis approbatur §.1.gl.9.num.*
Repl.1. *258. cum quinq; ſequentibus. Cuius replicatio prima*

ma est: Si alius offerens eius mandatum habeat ab actore. Quæ replicatio cùm ipso iure subsistat, duplicationem recipit hanc: Si offerens mandatum emptori non exhibeat. d. gl. 9. num. 264. Sed & altera eius duplicatio est: Si post annum exhibeat mandatum. §. 1. gl. 9. num. 264. uers. & quid si de eo. item gl. 10. num. 93. cum sequente. Tertia duplicatio est: Si exhibitum mandatum non legat, uel legendum det, aut ipsius exemplum emptori non tradat. Quæ duplicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur, simul & distinguitur d. gl. 10. num. 102. cum quinq; sequentibus. Quarta duplicatio est: Si mandatum sit generale, non speciale. Quæ duplicatio approbatur in fine libri num. 97. item §. 1. gl. 9. num. 264. uers. an autem hoc casu. de qua re uide item paulò inferius repl. 3. Planè iam enumeratarum duplicationum triplicatio generalis hæc esse uidetur: Si emptor non petierit mandatum sibi exhiberi, legi, uel eius exemplum tradi. Quæ triplicatio controuertitur, magisq; reprobatur d. gl. 10. num. 108. cum tribus sequentibus. Admittitur tamen in traditione exemplaris, d. gl. 10. num. 106. Hæc de prima replicatione eiusq; duplicationibus sint dicta. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Si alius offerens caueat de rato. Quæ replicatio controuertitur, magisq; reprobatur §. 1. gl. 9. num. 264. uers. & quid si offerat. item gl. 10. num. Repl. 2.

Repl.3. 92. cum sequente. Tertia replicatio est: Si procurator actoris generalis offerat. Quæ replicatio controuertitur, magisq; reprobatur d. gl. 10. num. 97. & num. 100. Admittitur tamen replicatio hæc: Si procurator datus sit ad omnia, præterquam ad unum casum, mandatum speciale requirentem. in

Repl.4. fine libri, num. 94. cũ duobus sequentibus. Quarta replicatio: Si procurator cum libera offerat. §.1. gl. 9. num. 264. in fine: & gl. 10. num. 101. in fine.

Repl.5. Quinta replicatio uidetur: Si coniũcta actoris persona offerat. Quæ replicatio controuertitur, magisq; reprobatur d. num. 264. in fine: & d. gl. 10. num. 97. uers. ideo nec coniuncta, cum num. sequente: item num. 100. Admittitur tamen replicatio hæc, primùm quidem in patre pro filio offerente. d. gl. 10. num. 101. de qua re uide plura s̄. quæst. 5. reg. 6. Deinde admittitur, si actor minor sit ætate, furiosus, prodigus, aut talis cui bonis sit interdicendum, d. gl. 10. num. 98. uers. illud autem. Non tamen admittitur in filio pro patre offerente. d. num. 101. uers. at non filius. Planè etsi replicatio proposita approbanda magis quàm reprobanda esset, tamen ea cessaret, si actor oblationem à cognato suo factam non habuerit ratam. d. gl. 10. num. 100. item si cognatus sine mẽtione actoris offerret. §. 10. gl. 1. num. 3. uers. & quod item scribit. item si tanquam procurator

Repl.6. actoris sine mãdato offerret. d. gl. 1. num. 7. Sexta replicatio

replicatio est: Si maritus nomine uxoris offerat. d. gl. 1. num. 1. & §. 16. gl. 2. num. 1. Quæ replicatio Dupl. 1. *adeò ualida est, ut etiam non consentiente uxore maritus eius nomine poßit offerre. d. gl. 1. num. 1. & num. 11. Planè si maritus sine mentione uxòris* Dupl. 2. *offerat uel agat, audiendus non est. d. gl. 1. num. 2. cũ sequente. Si tamen dicat, Mæuius maritus Titiæ offert: non est repellendus. d. gl. 1. num. 4. & num. 25. Idem etiam dicẽdum, si dicat se retrahere uelle rem à cognato uxoris suæ uenditam. d. gl. 1. num. 5. & num. 25. Item, si maritus non ut maritus, sed ut* Dupl. 3. *procurator uxoris suæ offerat uel agat: exceptione repellitur. d. gl. 1. num. 6. cum sequènte. Idem* Dupl. 4. *dicendum, si non uerus, sed putatiuus sit maritus. Quanquã hoc controuertitur d. gl. 1. num. 9. Sed* Dupl. 5. *& maritus filiusfamiliâs sine consensu parentis, in cuius est potestate, offerens uel agens non admittitur. d. gl. 1. num. 10. Maritus quoq;, qui uxorem* Dupl. 6. *domo expulit, eius nomine retrahere uolens non auditur. Quanquam & hoc controuertitur d. gl. 1. num. 12. cum tribus sequentibus. Nisi iusta expellendi causa fuerit. d. num. 12. in fine. Sed & maritus* Dupl. 7. *repudiatus ab uxore exceptione repellitur. d. gl. 1. num. 17. Nisi sine causa sit repudiatus. d. gl. 1. num. 16. Non solùm autem per se, sed etiam per* Dupl. 8. *procuratorem maritus nomine uxoris offerre precium & agere potest. Quanquam hoc controuer-*

titur d.gl.1.num.22.cum tribus sequentibus. Hæc de
Repl.7. *sexta replicatione sint dicta. Septima replicatio est: Si sponsus sponsæ nomine offerat uel agat.* Quæ
Repl.8. *tamẽ replicatio cõtrouertitur d.gl.1.num.8. Octaua replicatio est: Si actor oblationem ab alio factam ratam habuerit. §.1.gl.10.num.99.* Nisi *post annum retractus elapsum ratam habuerit. d.num.99.in fine: & num.100.in fine: & d.gl.10.num.87.cum tribus sequentibus. Si tamen intra annum promisit se ratificaturum, quamuis post annum ratam oblationem habuerit, quibusdam uidetur replicationi proposita locum esse.* Quorũ *tamen sententia est controuersa, magisq; reprobatur d.gl.10.num.91. cum sequente: & lib.2. in fine, num.42. cum nouendecim sequentibus. Admittitur tamen sententia ista, si actor alicui mandauit precium offerre ac rem retrahere, promittens se hunc retractum ratum habiturum. tunc enim alia ratihabitione opus non est.*
Repl.9. *d.gl.10.num.92. Postremò exceptio proposita locum non habet, si tutor actoris obtulerit, dummodò tanquam tutor pupilli, non suo nomine offerat: aliâs secus est dicendum. §.10. gl.1.num.3.uers. & idẽ de tutore.* Hæc *de prima exceptione, ex persona offerẽtis desumpta, eiusq; replicationibus sint*
2.Except. *dicta.* Præterea *ex persona offerentis excipiendum uidetur, Si minorennis uel pupillus sine tutoris uel curatoris authoritate offerat precium. nam*

hic

hic ut ſoluendo nihil agit, ſic etiam precium offerendo non uidetur ad retractum eſſe admittendus. Quæ tamẽ exceptio reprobatur §.1.gl.9.num.265. & gl.13.num.25. cum ſequente. Sed admittitur exceptio hæc in infante offerente.d.num.25.in fine: & num.26.in fine. Ex perſona eius, cui oblatio facta eſt, exceptio contra oblationem ſumitur, Si alij quàm ei qui liberare poteſt, oblatio precij ſit facta. hæc enim oblatio offerenti non prodeſt. §.9.gl.ult. num.4. cum duobus ſequentibus. Proinde pupillo uel infanti oblatio ſine tutoris authoritate facta nihil operatur.§.1.gl.9.num.265.de qua tamẽ re uide item paulò inferius except. prox.repl.7. Item ſi alij quàm emptori oblatio facta ſit, actor exceptione non rectè oblati precij ſubmouetur, quamuis iudici apud acta ſit facta. d.gl.ult. num.1. & §.1.gl. 12.num.1.cum ſequente. Vel emptoris procuratori. d.gl.ult.num.7. & §.1. gl.13. num.31. uerſ. ſecus de generali. Niſi fortè dominus abſit, nec alius ſit cui denunciatio uel oblatio fieri poßit. tunc enim ea procuratori poteſt fieri.d.gl.ult.num.8.& num.9. uerſ. quanquam ſuſtineri. Prius tamen ad domum abſentis denunciatio fieri debet, item abſentis uxori, quàm fiat procuratori: alioquin procuratori facta nihil operatur. Quanquam hoc controuertitur d.num.8 & 9. item §.9.gl.2.num.1. Sed etſi procurator ſpeciale mandatum habeat, rectè ei poteſt denunciari

3.Except.
4.Except.
5.Except.
Repl.1.reprobatur.
Repl.2.reprobatur.

nunciari & offerri. d.num.7. in fine: & §.1. gl.13. num.31. cum sequente. Quod etiã dicendum in procuratore generali, cui libera bonorum administratio est concessa. d.num.7. & d.num.31. cum num. sequente. Hoc *tamen non procedit in procuratore generali ad lites, etiam cum libera. neq; enim huic solui uel offerri potest. d.gl.13.num.33. & d.gl.ult. num.10. uers. illud autem inter omnes. Vtrum uerò procuratori oblatio rectè fiat domino sciente & non contradicente, controuertitur d.gl.ult.num. 10. cum sex sequentibus: ubi tamen replicatio hæc magis approbatur quàm reprobatur. Hæc de procuratore emptoris, quatenus ei offerri uel non offerri poßit, sint dicta.* Porrò *non solùm absentis procuratori, secundum ea quæ diximus, potest offerri, sed etiam absentis uxori, & ad eius domiciliũ potest ac debet offerri, secundum ea quæ diximus* s. *reg. prox. except.15. repl.1. Quibus accedit §.9. gl.1.num.3. cum quinq; sequentibus: & gl.2.num.1.*

Repl.3. (margin, at "ferri poßit")

Repl.4. *Item marito emptricis. d.gl.1.num.1.cum sequente.*

Repl.5. *Item absentis cognatis, adfinibus & alijs amicis fieri potest denunciatio & oblatio. d.gl.1.num.4. in fine: & num.5. in prin. item §.9. gl.ult num.8.* Et *hæc quidem obtinent, si emptoris copia non sit, ut ei poßit denũciari uel offerri: aliâs secus: ut d.num. 4. in fine: & d.gl.ult.num.2. cum sequente: item §. 1.gl.13. num.34. cum sequente. de qua re plura dicentur*

centur J. in citatione emptoris. Præterea si cor- Repl.6.
pus aliquod, collegiũ uel uniuersitas aliquid emit, sufficit eius actori uel syndico denunciari ac precium offerri. Quanquam hoc controuertitur d.gl. 13.num.36. Si item emptor uel emptoris hæres Repl.7.
pupillus sit, infans uel furiosus, si quidem tutorem uel curatorem non habeat, aut habeat quidem, qui tamen non comparet, ipsi pupillo, infanti uel furioso rectè offerri potest, quãuis aliâs ei solui non possit. Quanquam & hoc cõtrouertitur d.gl.13.num. 14. cum septem sequentibus. Sin autem tutorem uel curatorem habeat, isq; compareat, ipsi tutori uel curatori rectè offertur. d.gl.13.num.22. cum sequente. Item ipsi pupillo & adulto cum tutoris aut curatoris authoritate offerri potest, sic ut tutor uel curator cætera solus agere possit. d.gl.13. num.24. Postremò, si hæredi emptoris defuncti facta sit ob- Repl.8.
latio, exceptio proposita alij quàm emptori factæ oblationis non obstat. d.gl.13.num.14. in prin. Hæc de exceptione alij quàm emptori factæ oblationis, eiusq; replicationibus sint dicta. Præterea ex per- 6.Except.
sona eius cui oblatio facta est, excipiendum uidetur, si cùm pluribus offerendum esset, uni tantùm ex ijs, non omnibus oblatio sit facta. Quæ tamen exceptio controuertitur & distinguitur d.gl.13.num.28. cum duobus sequentibus. Planè pluribus tutoribus uel curatoribus emptoris existentibus, uni ex ijs potest offerri.

offerri. Quod approbatur ac distinguitur d.gl.13. 7.Except. num.27. Si insuper emptori oblatio facta sit, isq; nondum citatus decesserit, nisi hæredi quoq; postea citato facta sit oblatio, per exceptionem se potest tueri. in fine libri, num.115. Quanquam hæredi facta oblatio sufficit, licet defuncto facta non sit, ut paulò superius est ostensum. Hæc de exceptionibus ex persona eius, cui oblatio facta est, desumptis sint dicta. Sequuntur exceptiones desumptæ ex re 8.Except. oblata. Harum prima est: Si non totum preciũ, quo res empta est, uel quod emptor uenditori soluit, ab actore sit oblatum. hoc enim casu emptori per exceptionem succurritur. §.1.gl.18.num.1. cum nouẽ sequentibus. ubi simul etiam reprobatur replicatio Repl.1.reprobatur. hæc: Si precium iustam æstimationem excedat. Cui concordat etiam §.2. gl.3.num.1. Repl.2. Planè si in fraudem actoris maius precium fingatur, uel etiam detur: tunc precium, quo res empta est, non attenditur. d.§.2.gl.1.num.27.& gl.3.num.1.cum sequente. Repl.3. Fructus item ab emptore percepti minuunt precium, ut eo minus emptori ab actore sit offerendum. §.15.gl.3.num.unico. Cuius declarationem ac Repl.4. distinctiones uide s̃.quæst.9.reg.1. Præterea minuitur precium, quo res empta est, si pars rei emptæ perijt. nam eius æstimatio ex precio deducenda. Quanquam hoc controuertitur in fine libri Repl.5. num.76, cum sequente. Sed & si incertum sit

precium

precium, quo res empta est: siquidem de eo probabiliter constare poterit, licet actori quantitatem, quam uoluerit, offerre, cum oblatione hac, reliquũ, postquam de eo plenè certior factus fuerit, se soluturum. §.1. in fine. Sin uerò de eo constare non poterit: arbitrio iudicis precium constituitur, quo oblato actori exceptio proposita non obstat. §.2 gl.1. num.27. & in fine libri num.89. cum duobus sequentibus. Planè quod dictũ est, licere actori quantitatem, quam uoluerit, offerre, distinguitur, si unũ tantùm numum offerre uoluerit. Quanquam distinctio hæc controuertitur §.1.gl.21.num.1. cum nouẽ sequentibus. Eoq; magis distinctio hæc admittitur, si oblatio fiat duorum aut trium contractuum. d.gl. 21.num.10. cum sequentibus, usq; ad finem glossæ. Sed & si incertum sit precium ob æquiuocationem monetæ: puta rem uenditam centum libris, nec additum fuisse Parisiensibus aut Turonensibus: siquidem non constet quid actum sit, nec uerisimiliter constare poßit: minor summa potest ab actore offerri. §.1.gl.18.num.73. cum duobus sequentibus. Hæc de replicatione incerti precij sint dicta. de qua uide item s̃.reg.prox.except.5. Præterea si uenditor emptori aliquid de precio remisit, uel donandi causa minoris rem ei uendidit: uidetur actori hoc prodesse, ut quamuis non totum precium, quo res uendita est, uel uendi potuisset, offerat, exceptione Repl.6.

proposita non submoueatur. Quæ tamen replicatio controuertitur §.1.gl.13.num.11 cum septem se-
Repl.7. quentibus. Si item emptor non totum precium uenditori soluit, actor tantum offerendo, quantum emptor soluit, aduersus exceptionem propositam uidetur replicatione defendendus. de qua re uide s.
Repl.8. reg.prox.except.4. Si item emptor post uenditionem suppleuit primum precium, tanquam id nõ satis iustum fuisset: hoc augmentum actor emptori offerre non tenetur. Quanquam hoc controuertitur & distinguitur d.gl.13.num.50.cum octodecim
Repl.9. sequentibus. Similiter si emptor ultra precium uenditionis uenditori quid mutuum dederit, uel donauerit: ad hoc emptori restituendum actor non tenetur. Quanquam & hoc controuertitur d.gl.18. num.19.cum sex sequentibus: & num.69. cum tri-
Repl.10. bus sequentibus. Si insuper emptor dimidiã partem rei emptæ alij rursus uendidit: actor partem, quam retinuit emptor, retrahens, non totum precium, sed dimidium tantùm tenetur offerre, & posteriori emptori, à quo alteram dimidiam retrahit, reliquum dimidium debet offerre, quamuis ille pluris minorísue istam dimidiam partẽ emerit. Quanquam & hoc controuertitur in fine libri num.59.
Repl.11. cum sequente. Quod etiam controuertitur, si prior emptor totam rem emptam pluris minorísue uendiderit, utrum prioris, an posterioris uenditio-
nis

his precium ab actore sit offerendum? §.12. gl.1. num.6. cum octodecim sequentibus. Similiter si *ualor monetæ, qua res empta est, postea auctus uel deminutus sit: utrum ualor qui fuit tempore contractus, an qui est retractus tempore, inspiciendus sit, controuertitur §.1. gl.18. num.26. & num.28. Quod etiam dicendum, si manente ualore, moneta bonitate intrinseca mutetur. d.gl.18. num.27.* Si *insuper partim pecunia, partim res precij loco data est, æstimatio rei à iudice facienda, eaq; cũ pecunia data ab actore est offerenda. §.30. gl.2. num.1. Postremò, si plures res uno precio sint emptæ, quarum quasdam, non omnes, actor retrahere uelit ac possit: quantum precium ab eo sit offerendum, dictum s.quæst.9. reg.4. in fine. Hæc de exceptione non totius precij oblati sint dicta.* Altera ex re *oblata desumpta exceptio uidetur, si cum res pluris ab emptore uendi posset, actor non tantum emptori offerat, quanti ea ab ipso uendi posset. Quæ tamẽ exceptio reprobatur §.1. gl.18. num.1. uers.neq; e diuersò. & num.10. in fine.* Ex re item oblata ex*cipiendum uidetur: Si actor pecuniam offerat deterioris monetæ, uel minoris ualoris, quàm emptor soluit uenditori. de qua re dictum paulò superius except.8.repl.12. cum sequente. Ex quo etiam loco patet, si ualor monetæ auctus sit, utrum ualor ille qui fuit tempore uenditionis, an is qui est retractus*

Repl.12. Repl.13. Repl.14. Repl.15. 9.Except. 10.Except.

11.Except. *tempore, sit inspiciendus?* Deterioris autem monetæ species est numus non legitimi ponderis: quo oblato, actori nocebit exceptio. §.1. gl.20. num.13.
12.Except. Idem dicendum uidetur ærea moneta oblata. quod tamen controuertitur, magisq́; reprobatur d.gl.20.
13.Except. num.4. cum sex sequentibus. Si autem actor numos reprobos uel nō expendibiles obtulerit: exceptione submouetur. d.gl.20.num.11. cum sequente. Licet tempore contractus usus illorum nondum fuerit interdictus, & ab emptore uenditori in solutum dati. §.1.gl.13.num.29. Vel in alia regione sint usuales & expendibiles. d.gl.18.num.75. in fine: & d.
14.Except. §.1. gl.20. num.14. cum sequente. Quamuis autem aliam monetam, quàm emptor uenditori soluit, iustam tamen & æquipollentem actor offerat: dicendum est, exceptionem ei non obesse. d.gl.18.
15.Except. num.30. cum sequente. Idem dicendum, etsi partim auream, partim argenteam, aut unius tantùm
16.Except. materiæ monetam offerat. d.gl.20.num.3. Quamuis item consuetudo retractus auri & argenti faciat mentionem, sub quo pecunia signata iure communi non continetur: tamen aurum & argentum signatum, non in massa offerendū est. d.gl.20.num. 1. cum sequente. Hæc de exceptionibus ex re oblata
17.Except. desumptis sint dicta. Ex loco item, quo precium offertur, excipiendum uidetur, si in templo sit oblatum. Quæ tamen exceptio controuertitur, ma-

gisq́;

gisq; reprobatur in fine libri num.82. cum sequente. Similiter & hæc exceptio, Si in loco inhonesto, puta in popina uel lupanari, oblatio sit facta: controuertitur atq; distinguitur in fine libri, num. 84. cum duobus sequentibus. Postremò tempus quoq; oblationis excipiendi materiam suppeditat, si dicatur non intra legitimum tempus oblationem esse factam. §.3.gl.4.num.1.cum tribus sequentibus: & §.22.gl.2.num.1. Tempus autem legitimum definitur octo dierum ab eo die, quo emptor actori instrumentum emptionis exhibuit, eumq; ad retractum admisit. *Nisi ergo emptor actori instrumentũ emptionis exhibuerit, eumq; ad retractum admiserit, octo dies oblationis actori non currunt. d.§.22. gl.1. num.unico: & gl.2. num.1. de qua re dictum quoq; s̃.reg.prox. except.6. cum duabus sequentibus, & except.11. Dies item exhibitionis & admißionis non computatur in numero octo dierum. Quanquam hoc controuertitur & distinguitur §. 3.gl.2.num.5. item §.1.gl.11.num.17. cum sequentibus, usq; ad finem glossæ. de qua re dictum quoq; s̃. quæst. prox. reg.2. except.37. cum sequente. Si item tempus octo dierum incidat in diem bissextilem, uidetur, quamuis nono die oblatio fiat, actori tamen exceptionem propositam non nocere. Quod tamen controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.2. num.6. de qua re uide item s̃. d. reg.2. except.35.*

18.Except.

19.Except.

Repl.1.

Repl.2.

Repl.3.

Repl.4. *Præterea quãuis noctũ postremi diei oblatio fiat, dicendum tamen est actori non obstare exceptionem supradictã. §.1.gl.11.num.12. Licet aliàs noctu oblatio fieri non debeat, nisi periculum sit in mora. d.num.12.& in fine libri num.86.uers.ideo cum & solutio.* Repl.5. *Sed & si iustum impedimentum superuenerit, quo minus intra legitimum tempus oblatio sit facta: dicendum, actori aduersus exceptionem propositam replicatione subueniendum. §.3. gl.4. num.5. cum sequente. in cuius tamen fine additur, hanc replicationem de consuetudine non facilè admitti.* Repl.6. *Si item actor, postquam octo dierum præscriptione à retractu est exclusus, intra annum retractus nouam denunciationem & oblationem faciat: uidetur rursus admittendus ad retractũ. Quod tamen multum controuertitur d.gl.4. num.7. & §.8.gl.7.num.3. cum sequẽtibus, usq; ad finem glossæ.* Repl.7. *Deniq; si sententia in causa retractus lata sit contra emptorem, actor etiam intra triginta annos precium offerens audiendus est. in fine libri num. 32.cum tribus sequentibus: ubi tamen hoc controuertitur. Plures propositæ exceptionis replicationes uide s̃.reg.prox. Nam quæ causæ actorem, qui omnino non obtulit precium, excusant, eædem etiam eidem, si intra legitimum tempus obtulit, ad excusationem prosunt. Sed & plures huiusmodi replicationes uide s̃. quæst. prox. reg.2.* 20.Except. *Sumitur*

insuper

insuper ex tempore oblationis exceptio, si noctu dicatur oblatio facta. de qua paulò superius exceptione prox. repl.4. est dictum. Item, si feriatis diebus oblatio sit facta, aduersus oblationem ex tempore eius uidetur excipiendum. Quæ tamen exceptio reprobatur in fine libri num.78. Hæc de precij oblatione, altero uidelicet actoris officio, sint dicta. 21.Except.

V. Regula: *Tertium actoris officium uidetur, precium oblatum consignare atque deponere, si id emptor accipere nolit, uel absit. Sed hoc actori remittitur §.7. uers.nec opus est consignare. item §. 9.gl.3.num.24. Secus est de iure communi, & quorundam locorum consuetudine speciali. d.§.7.gl.3. num.1.cum duobus sequentibus: item §.9.gl.3.num. 3.* Declaratur *regula proposita definitione consignationis d.§.7. gl.3. num.6. cum quatuor sequentibus.*

VI.Regula: *Quartum actoris officium est, requisitio ut ad retractum admittatur.§.8.uers.requisitio. item d.§.8.gl.1.num.3.cum duobus sequentib.*

VII.Regula: *Quintum actoris officium est, ut emptorem in ius uocari seu citari faciat. d.§.8.uers. citatio formalis. & d.§.8.gl.2.num.1.de qua re uide plura s̃.quæst.prox.reg.2.except.32. itẽ* M.I.R. *lib.2.cap.5.reg.19.except.1.cum sequentibus.*

VIII. Regula: *Pertinet item ad officium acto-*

ris, rem quam petit, designare. §.1. uers.quas quidem res. & d.§.1. gl.15.num.unico. Item, *quòd sit res patrimonialis, ab eo ponendum atq; probandũ est. §.32. gl.1.num.97.cum duobus sequentibus.*

I X.*Regula*,*De iureiurando ab actore præstando, quòd hanc actionem suo nomine, & ad suum commodum, & sine fraude instituat, habetur §.5.cũ sua glossa unica, num.1.& num.6.Iurare autem debet actor eo modo quo petit reus. d.gl.unica, num. 7. Si uerò reus non petierit iusiurandum, actor ad hoc præstandum non est adstrictus. d.§.5. uers.postulante reo.*

X. *Regula*: *Pertinet item ad officium actoris, soluere impensas reo, quas rei retrahendæ nomine fecit. §.1.gl.18.num.ult.& §.29.ubi uaria huiusmodi impensarũ genera enumerantur: inter cætera impensæ instrumentorum ipsius contractus. Cui concordat d.§.29.gl.3. num.1. cum seq.* Item *laudimia. Cui concordat d. §.29. gl.1. num.1. cum sequente. item lib. 2. retractus, §.6. gl.2.num.3. uers.nam etsi consanguineus.* De *impensis tributi aut gabellæ ab emptore solutis habetur d.§.29.gl.4.num.1.De impensis domino datis, ut ratificaret contractum ab alio in re sua celebratum, habetur d. gl.4. num.11.* De *impensis ab emptore factis in re persequenda*
1.Except. *uel defendenda habetur d. gl.4. num.12.* De *ijs quæ data sunt proxenetis, controuertitur ac distinguitur*

guitur d.gl.4. num.8. cum duobus sequentib. Si- *militer de impensis quas emptor transigendi causa fecit, ne res ei auocaretur, controuertitur d.gl.4. num.14.* Quemadmodum etiam de impensis, quas emptor ratione sui priuilegij soluere non tenebatur, attamen soluit, controuertitur d.gl.4.num.4. 2.Except. 3.Except.

Planè sumptus quos cognatus remotior rem retrahendo in eam litem fecit, proximior ab eo rem retrahens ei restituere non tenetur. §.11. gl.6. num.3. cum sequente. Quanquam huic contradicit d.gl.4. num.13. 4.Except.

Sed nec eos sumptus actor reo tenetur restituere, quos casu fortuito rei nomine amisit. d. gl.4. num.15. 5.Except.

Quemadmodum nec eos quos fecit in re armis aduersus potentes defendenda. d.gl. 4.num.16. 6.Except.

Sed & si reus ab aduersario suo, cum quo de re litigauit, sumptus receperit, frustra eos ab actore petit. d.gl.4. num.13. uers. sed ita tamen. 7.Except.

Quemadmodum & eos quos non expendit: nisi fortè ex speciali priuilegio eos non expendit, uel donandi causa ei sint remissi. Quorum tamen prius controuertitur d.gl.4.num.2.cum sequente. posterius controuertitur d.gl.4.num.5. cum duobus sequentibus. Plures huiusmodi cõtrouersas exceptiones uide paulò superius reg.4.except.8.repl.8.cum sequente: item j.lib.prox.quæst.10.reg.6. 8.Except.

XI. Regula, De fori præscriptione opposita, utrum impediat litis contestationem, an post eam

ſit diſceptanda, controuertitur §.8.gl.5.num.18. cũ tribus ſequentibus.

De Probationibus ac Præſumptionibus in hoc iudicio retractus.

XII. *Regula: Cognatio actoris probatur confeßione aduerſarij, quamuis ab eo ſit reuocata: niſi errorem confeßionis probauerit. Quæ regula controuertitur quidem, ſed magis approbatur §.1.gl. 9.num.274.cum ſequente.*

XIII. Regula, *De teſtibus cognationem affirmantibus, quatenus ij fidem faciant, diſſeritur §.1. gl.16.num.1.*

XIIII. Regula: *Alia per quæ cognatio probetur, habentur d.gl.16.num.1.cum octo ſequentibus.*

XV. Regula: *Si dubitetur, utrum reus abſens ſit perquiſitus & non inuentus: quid præſumendum, & per quæ probetur, diſſeritur §.8.gl.9. num.23. cum quatuor ſequentibus.*

XVI. Regula, *De citatione probanda. Hæc per teſtes probari poteſt ſine alia renunciatione nuncij. §.7. gl.2. num.unico. Eiq; duo teſtes adhibendi. §.8.in fine: & d.§.8.gl.8.num.unico.*

XVII. Regula: *Si dubitetur, utrum uẽditionis, an alio titulo res ad reũ peruenerit: quomodo uenditio probetur, cõtrouertitur in fine libri num.87. cum quatuor ſequentibus.*

XVIII.

XVIII. Regula: Si dicatur contractus simulatus, quomodo probetur, differitur §.1.gl.2.num.17, & gl.7.num.75. & §.2.gl.1.num.25.

XIX. Regula: Contractus simulatus & fraus non præsumitur, nisi probetur. §.26.gl.1.num.35. itẽ lib.2. in fine, num.127. uers. præsertim cũ in dubio. Sed probatur & detegitur ex tractatu præcedente magis quàm ex sequẽte. §.1. gl.14.num.24. cũ tribus sequentibus. Item ex contractu lucratiuo magis quàm oneroso. §.26.gl.3.num.ult.in fine.

XX. Regula: Præsumitur fraus, si res uilius sit conducta. §.1.gl.7.num.75. Item ex breuitate temporis. d.gl.7.num.76. cum sequente. Item cùm eodem tempore fit locatio & uenditio, aut confestim fit uenditio post locationem. d.gl.7. num.78. Item si contrahentes, cùm cogitant tractantq; de uenditione, locationem & conductionem prius faciunt. nam hoc casu, quamuis emptio & uenditio nõ continuò pòst sequatur, tamen factum in fraudem uideri potest. d.gl.7.num.79.

XXI. Regula: Si dubitetur, utrum permutatio simuletur in fraudem retractus, nécne: uẽditor eius rei censetur testis idoneus. Quæ tamen regula controuertitur §.1.gl.14.num.46. cum decem sequentibus.

XXII. Regula: Simulatio permutationis in fraudem retractus etiam testibus probatur. d.gl.14. num.

num.57. item coniecturis & præsumptionibus. d. gl.14.num.58.

XXIII. Regula: Non satis est dicere ac probare in genere, contractum esse simulatum, fraudulentum & fictitium, nisi etiam species fraudis probetur. d.gl.14.num.59.

XXIIII. Regula: Fraus actoris non sibi, sed alij retrahentis, deprehenditur coniecturis & argumentis uerisimilibus: item si rem retractam statim alij cedat. §.5.gl.1.num.4. Et quamuis actor iurauerit, se sibi, non alij retracturum: tamen contra hoc iuramentum admittitur probatio in contrarium. d.gl.1.num.5.

XXV. Regula: Si de quantitate precij dubitetur, utrum assertioni contrahentium standum sit, disseritur §.1. gl.18. num.76. cum sequente: & §.2. gl.1.num.24. cum tribus sequentibus: item num.29. cum sequente. Item, utrum instrumentis solùm, an etiam testibus uenditio eiusq; precium probari possit: controuertitur §.2.gl.1. num.11. cum duodecim sequentibus. Et, utrum probatio in contrarium sit admittenda, si emptor de quantitate precij iurauit: controuertitur, magisq; affirmatur §.2. gl.2. num. 15. & §.4. cum gl.1.num.1. & nouem sequentibus: & num.ult. de qua re ibidem plura sequuntur, quæ meis Institutionibus lib.2.cap.11.reg.9.except.12.in fine adieci.

XXVI.

XXVI. Regula: *Si dubitetur, utrum emptor uenditori precium soluerit, nécne: uenditoris confeßioni standum est. Quanquam hæc regula controuertitur §.1. gl.18. num.78. cum quindecim sequentibus: & §.2.gl.1.num.28.*

XXVII. Regula: *Res uendita in dubio præsumitur adquisititia, donec patrimonialis probetur. Quæ regula controuertitur atq; distinguitur §.32. gl.1.num.91. cum quinq; sequentibus: & num.97. cum duobus sequentibus.*

XII. EVENTVS ET CONsequentia propositæ actionis.

I. Regula: *Per actionem propositam in iudicium deductam res efficitur litigiosa, ut amplius alienari non poßit. in fine libri, num.123. Antequam autem ea in iudicium fuerit deducta, emptori alienatio rei non est interdicta. §.12.gl.1.num.1.*

II. Regula: *De instrumento actori à reo super retractu præstando; differitur §.29.gl.5.num.1. cum tribus sequentibus.*

III. Regula: *De precio & alijs impensis ipsi reo ab actore soluendis, dictum s.quæst.prox.reg.3. cũ sequente: & reg.10.*

IIII. Regula: *De iure per emptionem confuso emptori restituendo differitur §.1. gl.7.num.62. cũ octodecim sequentibus: item in fine libri num.114.*

V. Regula

V.Regula,De laudemijs domino soluẽdis.Actor qui rem retraxit, non tenetur domino tanquam nouus emptor soluere laudemia. Quæ regula controuertitur quidem, sed magis approbatur §.29. gl.1. num.3. cum sequente. Cuius exceptio prima est: Si res actori ab emptore ultrò sit uendita,non ab eo inuito retracta.d.gl.1.num.5.cum sequente. Huius replicatio est: Si uenditio hæc posterior intra tempus retractus facta sit eodem precio, ijsdemq; conditionibus, quibus prior est facta. Quæ replicatio controuertitur d.gl.1.num.27. Altera propositæ regulæ exceptio est quoad priorem uenditionem, ex qua res retracta est. Ex ea enim actor domino laudemia soluere tenetur. Quæ exceptio controuertitur quidem, sed magis approbatur d.gl.1. num.1. cum sequẽte: item d.§.29.gl.2.num.1. cum quatuor sequentibus. Cuius replicatio prima uidetur: Si ab ipso domino emente retraxit. Quæ replicatio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.2.num.9. cum sequente. Altera replicatio uidetur: Si dominus emptori laudemia remiserit uel donauerit. Quæ replicatio controuertitur d.§.29. gl.4. num. 5.cum duobus sequentibus. Tertia replicatio est: Si emptor ipse domino laudemia soluerit. hoc enim casu actor nõ domino, sed emptori laudemia soluet. De qua re dictum s̃.quæst.prox.reg.10.

VI.Regula:Emptor,re retracta,non tenetur domino

mino ſoluere laudemia. Quæ regula controuertitur quidem, ſed magis approbatur §.29. *gl*.2. *num*.1.*cum quatuor ſequentibus. Cuius exceptio prima eſt: Si emptor actori nondum ius ſuum ceſſerit. d.gl*.2.*num*.6. *Altera exceptio eſt: Si emptor ſponte alteri rem rurſus uendiderit. hoc enim caſu nihilominus domino ex priori emptione laudemia debet. d.gl*.2.*num*.7.*cum ſequente*.

VII. *Regula: Venditor emptori re retracta de euictione non tenetur*. §.1. *gl*.9.*num*.34. *cum duobus ſequentibus. Cuius regulæ exceptio prima eſt: Si uenditor euictionem ſe præſtaturum promiſerit. d.gl*.9.*num*.34. *in fine: et num*.36 *in fine: item num*.54. *cum ſequente. Huius replicatio eſt: Si non ſpecialiter promiſerit uenditor rem tutam & ſecuram ſe aduerſus retractum cognatorum præſtaturum. d.gl*.9.*num*.56. *Hæc replicatio uidetur recipere duplicationem hanc: Si uenditor promiſerit, quomodocunq; res euincatur, ſe præſtaturum. Quæ duplicatio controuertitur, magisq; reprobatur d.num*.36. *in fine: & in fine libri, num*. 98. *Altera propoſitæ regulæ exceptio eſt: Si uenditor dixerit, rem non eſſe obnoxiam retractui. in fine libri, num*.99. *Tertia exceptio eſt: Si emptor rem rurſus uendiderit durante tempore retractus: hoc enim caſu, ſi res à ſecundo emptore retrahatur, ipſi aduerſus ſuum uenditorem actio non denegabitur*.

tur.§.12.gl.1.num.6. Cuius replicatio prima est: Si posterior uenditor secundo emptori indicauerit, rem adhuc retractui esse obnoxiam, uel posterior emptor id sciuerit. d.gl.1. num.7. cum sequente. Huius duplicatio est: Si expreßim de euictione re retracta scienti sit cautum. d.gl.1. num.7. uers.nec enim.& num.8.Vide item s̃.except.1. Altera replicatio est: Si posterior emptor scire debuit rem obnoxiam esse retractui. d.num.7.uers.aut scire debebat.item d.gl.1.num.9. item in fine libri,num.43. Tertia replicatio est quoad precium,quo posterior emptor rem pluris emit quàm prior. ad hoc enim restituendum prior emptor posteriori tenetur.Quæ replicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur d.gl.1.num.8.in fine: & num.10. cum sequente: num.13.& num.25. Cuius duplicatio prima est: Si id actum sit, ne de eo restituendo prior emptor teneretur. d.num.10. uers.nisi etiam actum sit.& num.14. Huius triplicatio est: Si non specialiter,sed generaliter cõuenerit,ne prior emptor posteriori de euictione teneretur. d.num.14. Altera propositæ replicationis duplicatio est: Si contra interdictum legis emerit.hoc enim casu nec precium potest repetere. d.gl.1.num.12. item in fine libri,num.47.

VIII.Regula:*Re actori euicta,is non habet regressum aduersus emptorem, à quo retraxit, sed*

aduersus

aduersus uenditorem. in fine libri, num.118. Cuius exceptio est: Si ex facto uel culpa emptoris res actori fuerit euicta. d.num.118. Huius replicatio est: Si ex eo res actori euincatur, quòd emptor à minore sine decreto emerat. hoc enim casu, quamuis emptor in culpa sit, quòd rem à minore, cuius ætatem non ignorabat, aut certè ignorare non debebat, sine decreto emerit: tamen actori de euictione non tenetur. Quæ replicatio controuertitur quidem, sed magis approbatur in fine libri, num.42. cum septem sequentibus. Huius replicationis duplicatio prima est: Si emptor actorem ad retrahendum allexit. in fine libri, num.50. Altera duplicatio est: Si & actor retrahens fuerit minorennis. hoc enim casu in integrum aduersus emptorem restituitur. Quæ duplicatio controuertitur, magisq; approbatur in fine libri, num.51. cum sex sequent.

IX. Regula: Tempus quo possedit emptor, actori ad usucapionem uel præscriptionem implendam accedit. in fine libri, num.38.

X. Regula: Actor qui sententiam obtinuit, potest postea pœnitentia ductus retractui renunciare, inuito etiam emptore. Quæ regula controuertitur quidem, sed magis approbatur in fine libri, num. 24. cum septem sequentibus: & num.51. cum sex sequentibus.

XI. Regula: Si actor nō sibi, sed alij rem retra-

 xit:

xit: emptori datur actio ad rem repetendam. §.5. gl.unica, num.2. cum duobus sequentibus.

XII. Regula: *Socius bonorum actoris retrahentis dimidiam rei retractæ partem adquirit. §.26. gl. 1. num.33. cum quatuor sequētibus. Vnde uxor quoque retrahentis dimidiam rei retractæ partem habet, & contrà maritus uxoris retrahentis. §.16. cū duabus gloßis sequentibus. & §.10. gl. unica, num. 20. in prin. Soluta tamen societate, actori eiusq; hæredibus intra annū datur facultas retrahendæ partis socio adquisitæ, oblato pro rata precio. d. gl. 1. num.38. Quod etiam in parte uxori uel marito retrahentis adquisita obtinet. §.17. cū sua glossa unica: et d. num.20. Sed & si maritus constante matrimonio rem aliquam adquisierit à cognatis suæ uxoris: licet uxori eiúsue hæredibus soluto matrimonio partem marito adquisitam oblato pro rata precio retrahere. §.20. Quod etiam in alijs socijs, quorum alter ab alterius cognatis aliquid emerit, obtinere censet* Tiraquellus *d. §.20. gl.1. num 1. cum decem sequentibus. Similiter admittitur quis restituendo precij dimidium, cum maritus & uxor constante matrimonio adquisierint aliquem annuum reditum, aut onera uel seruitutes, quæ ab altero eorum aut super bonis ipsorum ante matrimonium debebantur. §.19. cum sua glossa prima.* Planè *si consuetudo sit, ut res constante matrimonio adquisitæ su-*

perstiti coniugi cedant, ex asse quidem in usumfructũ, ex semisse uerò in proprietatẽ: quãuis defuncti hæres dimidiã precij partẽ superstiti intra annũ obtulerit, nihilominus superstes usumfructũ medietatis rei adquisitæ obtinebit. §.18. cũ sua glossa unica.

XIII. Regula: Cessante consuetudine cõmunionis inter maritũ & uxorẽ, itẽ oblationis precij dimidij soluto matrimonio, cõtrouertitur, utrũ maritus rẽ uxoris nomine retractã ei eiúsue hæredibus soluto matrimonio teneatur restituere? §.10. gl. unica, num.18. cum duobus sequentibus.

XIIII. Regula: Cũ uir & uxor simul uendũt, præsumitur preciũ ad utrunq; pro parte peruenisse. Quæ regula controuertitur & distinguitur §.31. gl.1. num.4. cum quinq; sequentibus.

XV. Regula: Si emptor rei immobilis decedat, relictis alijs hæredibus mobilium, alijs immobiliũ, posteáq; res retrahatur: precium oblatum ad hæredes mobilium pertinet, quamuis res, si retracta non fuisset, hæredum erat rerum immobilium. Quæ regula controuertitur quidem, sed magis approbatur in fine libri, num.10. cum tredecim sequentibus. Accedit Gabriel. lib.1. de præsumptionibus, conclus. 12. num. ult.

METHODI LIBRI PRIMI
de retractu municipali
finis.

METHODVS LIBRI SECVNDI, DE retractu conuentionali.

PARTITIO LIBRI.



N libro secũdo describitur actio, quæ datur ex pacto reuenditionis in uenditione alicuius rei uel pòst adposito ad rem uenditam ipsi uenditori eiúsue hæredibus oblato precio reuendendam: unde à conuentione appellatur Retractus conuentionalis. Describitur autem hæc actio per undecim locos principales. Primus est de ipso pacto, ex quo hæc actio competit. Alter de nomine huius actionis. Tertius de genere eius. Quartus de causa huius actionis, eiusq; exceptionibus. Quintus locus complectitur personas, quibus actio hæc detur. Sextus personas eorum, aduersus quos detur. Septimo definitur, ubi & apud quem iudicem hæc actio competat? Octauo, quid, quale quantumq; in hac actione ueniat petendum? Nono, quando & quamdiu competat? Decimo enumerantur antecedentia & adiuncta huius actionis. Postremo euentus eius & consequentia.

I. DE

I. DE IPSO PACTO reuenditionis.

I. *De nomine huius pacti.* Hoc pactum uulgus *de retrouendendo, nonnulli de reuendendo appellant. in præfat. num. 1. in fine.* Fiducia *seu fiduciaria mancipatio aut uenditio à ueteribus nũcupatur. in præfat. num. 39. cum duobus sequentibus.*

II. *Iustum censetur pactum. in præfat. num. 2. cũ duobus sequentibus.* Nec *inducit præsumptionem fraudis, scilicet contractus pignoraticij in fraudem usurarum initi.* Quanquam *hoc controuertitur in præfatione num. 5.* Minus *tamen inducit suspicionem fraudis pactum ex interuallo adpositum, quàm illud quod in ipso contractu aut mox post ipsum factum est. in præfat. num. 6. cum quinq; sequentibus.* 1. Except. Sed *& si pactum reuendendi non in ipso instrumento principali adpositum est, sed seorsim ac separatim, magis facit ad præsumptionem fraudis. in præfat. num. 12. cum tribus sequentibus.* 2. Except. Si*militer si iuramentum accesserit, hoc magis reddit contractum suspectum de fraude ac simulatione. in præfat. num. 16. cum tribus sequentibus.* 3. Except. Sed *& fraudis suspicio augetur, si res minoris uendita sit. in fine libri num. 126. uers. nec enim id solum.* Quod *quomodo accipiendum sit, declaratur in præfat. num. 20. cũ sex sequentibus: item in fine libri num. 144. cum tribus sequentibus.* 4. Except. Item *in uenditione* 5. Except.

pactum adpositum magis est suspectum, quàm in datione in solutum. in præfat.num.27. cum duobus
6.Except. sequentibus. Item augetur fraudis suspicio, si pacto adpositum sit certum tempus, intra quod rem redimere non liceat. in præfat.num.30.& §.1.gl.2. num.69. cum tribus sequentibus: item in fine libri num.98.uers.quod pactum. In quo tamen postremo loco pactum hoc nõ dicitur illicitum, nisi alia quædam concurrant. Cui accedit etiam Fichard. in addit.ad Baptist.à Vill.in litera P.num.6. Vide item J.
7.Except. quæst.9.reg.1. Item suspicio fraudis augetur, si maiori uel minori precio res à uenditore est redimenda, quàm emptor soluit. in præfat.num.31.cum duo-
8.Except. bus sequentibus:& §.1.gl.3.num.1. Minuitur autem fraudis suspicio, si pactum à rustico uel muliere
9.Except. sit factum.in præfat.num.34.cum sequente. Item fraudis suspicionem auget, si in pacto sit adpositũ, ut si uenditor rem redimat, emptori sumptus refundat, quos eius rei gratia fecisset. Quanquã hoc controuertitur, magisq; reprobatur §.6.gl.2.num.ult.
10.Except. Præterea si pro annuo reditu uendito fundus emptori ad percipiendos fructus datus sit, & conuenerit, nisi intra certum tempus annuus reditus redimatur, ut fundus in solutum emptori cedat: hoc pactum illicitum censetur. Quod tamen controuertitur & distinguitur in fine libri, num.120. cum sequentibus, usq; ad num.144. Planè si conuenit, ut re

re intra tempus statutum non redempta, emptor precio aliquam summam adijciat, hoc pactum non improbatur. in fine libri, num. 148. Postremò fraudis suspicio augetur, si pacto reuendendi adiectum sit, ut emptor eius anni, quo res redimetur, dimidiam partem fructuum percipiat. Quanquam hoc controuertitur, approbatur tamē magis in fine libri, num. 149. II. Excepti

III. *Pactum reuendendi censetur pars contractus. §. 1. gl. 1. num. 1.*

IIII. *Hoc pactum facit rem minoris æstimari. in præfat. num. 20. cum sex sequentibus.*

V. *Res uendita pro pacto de reuendendo tacitè censetur pignori obligata. §. 3. gl. unica, num. 9.*

VI. *Emptor ob pactum de reuendendo non potest cædere arbores frugiferas aut alias inciduas. Quod approbatur simul & distinguitur §. 3. gl. unica, num. 23. cum octo sequentibus.*

VII. *Empto uiuario cum hoc pacto reuendendi, feræ occidi possunt, dummodò aliæ in earum locum substituantur. d. num. 23. in fine.*

VIII. *Fundus cum pacto reuendendi emptus, pendente tempore reuendendi, antequam redimatur, censetur immobilis, in quo hæredes rerum immobilium succedūt: postquam uerò redemptus est, pecunia qua redemptus est, ad hæredes rerum mobilium pertinet. in fine libri, num. 111.*

IX. *Ex pacto reuendendi ex parte tantùm emptoris oritur obligatio, non etiam ex parte uenditoris. nam hic inuitus ad redimendum cogi nõ poteſt. in fine libri, num.150. Niſi id nominatim ſit actum. in fine libri, num.104. Sed etſi hoc actum non ſit, poteſt tamen emptor, ſi contractus ſit illicitus, aduerſus uenditorem agere, ut aut approbet cõtractum, aut reprobet. d. num.150. cum tribus ſequent.*

X. *Emptori cum pacto reuendendi competit interdictum* Quod *ui aut clam, cæteraq; ſimilia. in fine libri, num.181.*

XI. *Ex uenditione cum pacto reuendendi debentur laudimia domino, non autem ex reuenditione.* Quod *controuertitur quidem, ſed magis approbatur §.6. gl.2. num.4. cum ſedecim ſequentibus. Plures huius pacti effectus uide 7. quæſt.11.*

II. DE NOMINE ACTIONIS PROPOSITÆ.

Hæc *actio* Retractus *conuentionalis appellatur, quòd ex conuentione partium proficiſcatur: cum ſcilicet inter emptorem & uenditorem conuenit, ut uenditor intra certũ aliquod tempus, aut quandocunq;, aut ſimpliciter ſine temporis præfinitione poßit rem uenditam oblato precio retrahere. in præfat. num.1.*

III. GENVS PROPOSItæ actionis.

I. *Ex pacto de reuendendo duæ actiones oriuntur, Venditi nimirum et Præscriptis uerbis actio.* §. *1.gl.1.num.2.cum sequente.*

II. *Bonæ fidei actio est.* §.*1.gl.6.num.42.*

III. *Actio est in rem scripta.* §.*4.gl.5.num.unico.uers.necesse est ergo.*

IIII. CAVSA HVIVS ACTIOnis, cum suis exceptionibus.

Competit hæc actio ex pacto reuendendi.l.si uir. 12.ff.de præscriptis uerbis.l.2.& l.si à te.6.C.de pactis inter emptorem & uenditorem. Accedunt ea quæ dicta sunt §.*quæst.2. Competit tamē interdum hæc actio ex iure statutario, quando statuto cauetur, ut uēditis uel in solutum datis bonis debitoris, liceat ei intra aliquod tempus oblato precio bona redimere. quo casu quæritur, an idem statutum obtineat in datione in solutū sponte facta? Quod controuertitur in fine libri, num.154. Planè causa proposita suas etiam habet exceptiones, quarum prima est: Si minor uigintiquinq; annis aliquid emens hoc pactum uenditori fecerit, uel tutor aut curator eius. in fine libri, num.1. Cuius replicatio uidetur: Si pactum hoc reuendendi non ex interuallo, sed in ipso contractu emptionis fuerit adpositum. Quæ re*

plicatio controuertitur in fine libri, num. 2. cũ quatuordecim sequentibus. Altera exceptio est: Si prælatus Ecclesiæ emens hoc pactum in præiudicium Ecclesiæ adiecerit. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur in ijsdem locis, in quibus superior proxima. Accedit Soar. in litera E. num. 5. Sed & in ijsdem locis differitur idem in procuratore & alio quouis administratore alterius nomine emente. Quod tertiæ exceptionis loco notandũ. Quarta exceptio est: Si filiusfamiliâs aliquid emens pactum reuendendi sine consensu patris adiecerit. Quæ exceptio approbatur d. num. 1. uers. & in simili. ubi etiam replicatio proponitur talis: Si nõ ex interuallo, sed in ipso contractu filiusfamiliâs hoc pactum adiecerit. Quinta exceptio uidetur: Si non simpliciter concessa fuerit uenditori facultas redimendi, sed emptor tantùm promisit se daturum uenditori eam facultatem redimendi intra certum tempus. Quæ tamen exceptio controuertitur, magisq; reprobatur in fine libri, nùm. 25. cum sequentibus, usq; ad num. 62. Sexta exceptio est: Si in præfatione quidem contractus mentio sit facta pacti de reuendendo, sed in ipso contractu eius non sit cogitatum. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur in fine libri num. 21. cum tribus sequentibus. Septima exceptio est: Si non in continenti, sed ex interuallo pactum reuendendi sit adpositum,

tum. in fine libri, num.105. cum duobus sequentib. item num.108. in fine. Cuius replicatio prima est: Si stipulatione pactum ex interuallo adpositum fuerit munitum. d.num.108. uers. cæterùm Angelus. Altera replicatio est: Si non multò post contractum superuenerit pactum. d.num.108. in prin. item §.1. gl.5. num.2. cum sequentibus, usq; ad finem glossæ. Tertia replicatio est: Si eodem die, quo contractum est, uel die sequenti pactum fuerit adiectum. d.gl.5. num.1. & d.§.1.gl.4.num.unico. Quarta replicatio uidetur: Si cum quis nomine alterius aliquid emisset, pactum hoc reuendendi adiecerit, antequã is cuius nomine emerat, contractũ ratificaret. Quæ replicatio cõtrouertitur in fine libri, num.180. Hæc de septima exceptione. Octaua exceptio est: Si contractus principalis non subsistat, puta si simulatus sit. tunc enim pactum quoq; adiectum tale censetur, qualis est contractus principalis. in fine libri, num.112. cum sequente. Nona exceptio est: Si uenditor in pacto reuendendi non promisit redimere. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur in fine libri, num.105. cum tribus sequentibus. Decima exceptio est: Si annuo reditu cum pacto reuendendi intra certũ tempus uendito, uenditor emptori fundum dederit ad fructus interim percipiendos, ita ut, nisi intra tempus, de quo conuenit, uenditor reditum annuum redemerit, fundũ illum

illum emptor in solutum haberet. Quæ exceptio cōtrouertitur & distinguitur in fine libri, num.120. cum sequentibus, usq; ad num.148. De qua exceptione cum alijs similibus dictum quoq; §.quæst.1. reg.2. Vndecima exceptio est: Si uenditor postea pacto reuendendi renunciauit. Quæ exceptio cùm ipso iure subsistat, recipit replicationem hanc: Si alius, qui nomine domini uēdidit, pactumq; est de reuendendo, isti pacto postea renunciauit. hoc enim in præiudicium domini facere non potuit. in fine libri, num.19. Cuius duplicatio est in feudo à uasallo consensu domini uendito. hoc enim casu uasallus uenditor pacto reuendendi in præiudicium domini potest renūciare. in fine libri, num.160. Duodecima exceptio uidetur: Si in uenditionis instrumento pacti de reuendendo mentio facta non sit. hoc enim casu à pacto uidetur recessum. Quæ tamē exceptio reprobatur in fine libri, num.21. cum tribus sequentibus. Decimatertia exceptio est: Si cum uenditor precium, emptore id accipere recusante, deposuisset, illud postea receperit. per hoc enim uidetur pacto reuendendi renunciasse. §.4. uers. etsi postea recipiat, cum sua gl.10. num.1. Cuius replicatio prima est, si cum sola oblatio sine consignatione ac depositione sufficeret, uenditor nihilominus deposuerit, & depositum postea receperit. d. num.1. in fine: & lib.1. §.7. gl.3. num.4. Altera

tera replicatio est: Si minor uigintiquinq; annis depositum receperit. d. gl. 10. num. 3. Decimaquarta exceptio est: Si pacto certo modo facto, modus pacti defecerit. tunc enim retrahere uolenti obstabit exceptio. Cuius replicatio uidetur: Si cum pactum esset factum hoc modo, ut uenditori liceret retrahere post triennium à die, quo emptor uenditori denūciasset ut redimeret, computandum, emptor antequam denunciaret, sit mortuus, & sic nō ipse, sed hæres eius denunciauerit. Quæ tamen replicatio controuertitur in fine libri, num. 162. Decimaquinta exceptio est: Si cum pactum de reuendendo factū esset sub hac conditione, Si emptor intra certum tempus non soluisset precium: emptore intra tempus non soluente precium, uenditor postea precium petierit. per hoc enim pacto uidetur renunciasse. in fine libri, num. 163. Decimasexta exceptio est: Si cum fundus cum pacto reuendendi uenditus esset ea lege, ne uenditor alteri fundum uenderet, nihilominus uenditor postea eum alteri uendiderit. hoc enim casu agenti ex pacto reuendendi obstabit exceptio non seruati contractus. §. 3. gl. unica, num. 21. Cuius replicatio uidetur: Si uenditor fundum à posteriori emptore redemerit, & priori eum tradiderit. Sed reprobatur hæc replicatio d. gl. unica, num. 22. Decimaseptima exceptio est: Si res uendita emptori sit euicta. in fine libri, num. 179.

179. Cuius replicatio est: Si euictio ex facto emptoris prouenerit: puta si feudi emptor feloniam commiserit, ob quam feudo priuatur. hoc enim uenditori postea retrahere uolenti non praeiudicat. §.3. gl. unica, num.32. Decimaoctaua exceptio uidetur: Si cum uenditor fundum cum pacto reuendendi uenditũ in emphyteusin ab emptore accepisset, ob non solutum canonem iure emphyteutico ceciderit. hoc enim casu postea ex pacto eum retrahere uolenti exceptio uidetur obstare. Quae tamen exceptio controuertitur in fine libri, num.89. cum sequente. Decimanona exceptio est: Si actor aliud quàm in iudicium deductum est, probauit. Quae exceptio approbatur simul & distinguitur §.1. gl.3. num.3. item in fine libri num.98. cum quinq; sequentibus. Vicesima exceptio uidetur: Si emptor id quod actoris interest, soluere sit paratus. hoc enim casu à rei restitutione uidetur liberandus. Sed exceptio haec reprobatur §.1. gl.7. num. ult. & Soar. in litera E. num.141. Vicesimaprima exceptio est: Si uenditor nõ totam rem emptam, sed partem eius: uel pluribus rebus uno precio emptis, quasdam ex ijs, non omnes retrahere uelit. Quae exceptio approbatur per ea quae habentur s. lib. prox. quaest. 4. except.74. Cuius replicatio est: Si cum una res duobus cum pacto reuendendi uendita esset, uenditor ab uno emptorum partem eius uelit retrahere.

lib.1.

lib.1.retractus.§.23.gl.1.num.31. Plures huius exceptionis replicationes uide s. lib.prox.quæst.9.reg. 4. Vicesimasecunda exceptio est: Si non omnia retractus solennia impleuerit actor. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur s.d.quæst.4.except.75.Declaratur enumeratione solennium s.lib. prox.quæst.11.item j.hoc libro,quæst.10.

Replicatio præcedentium exceptionum generalis.

Hactenus exceptiones aduersus retractum conuentionalem, ex causa ipsius desumptas, enumerauimus: quarum replicatio generalis siue communis hæc est: Si emptor precium oblatū accepit.per hoc enim uidetur omnibus istis exceptionibus renunciasse.§.4.gl.10.num.2.De qua replicatione cū alia etiam generali uide itē s.lib.prox.quæst.4. in fine.

V. QVIBVS ACTIO proposita competit?

I.Regula:*Hæredibus quoq; uēditoris actio proposita competit. §.1. gl.6.num.1. Cuius exceptio prima uidetur: Si in pacto reuendēdi adiecta sit dictio taxatiua: puta, ut liceat uenditori tantùm, uel soli uenditori rem retrahere. Quæ exceptio cōtrouertitur d.gl.6.num.2.cum decem sequentibus.Admittitur tamen exceptio hæc,si dictio taxatiua non uenditori, sed alij, cui uenditor pactum reuendendi*

difecit, adijciatur . d.gl.6. num.13. Altera exceptio uidetur: Si cum pactum reuendendi factum esset hoc modo, Cum uenditor uoluerit: uel, Cum petierit: uenditor, antequam suam uoluntatem redimendi declarauit, decesserit. Quæ exceptio reprobatur d.gl.6. num.14. cum duobus sequentibus. Tertia exceptio est: Si statuto primogenitus in feudo cum pacto reuendendi uendito cæteros hæredes excludat. hoc enim casu eos etiam in retractu excludit. in fine libri, num.175. Quarta exceptio uidetur: Si non sui sint hæredes, sed extranei. Quæ tamē exceptio reprobatur d.gl.6.num.26.

II. Regula, De *hæredibus hæredis. His quoq; actio proposita non deneganda. Quæ regula cōtrouertitur quidē, sed magis approbatur d.gl.6. num. 17.cum octo sequentibus.*

III. Regula, De *extraneo, cui actio hæc à uenditore cessa est.* Huic *quoq; actio proposita competit: cum ius hoc cedi posit. lib.1. retractus. §.26. in fine, cum sua gl.3.num.1. Cuius exceptio prima uidetur: Si pactum reuendendi factum sit contemplatione uenditoris tantùm, eiusq; filiorum. Sed controuertitur, magisq; reprobatur d.gl.3.num.42. Altera exceptio est: Si in pacto reuendendi uenditoris personæ adiecta sit dictio taxatiua. §.1. gl.6. num.11.cū sequente. Tertia exceptio est: Si conuenit ne id ius alteri cedi posit. d.gl.3. num.43.*

Quarta

Quarta exceptio eſt: Si ceßionarius emptori inſtrumentum ceßionis non exhibeat. d.gl.3. num.44. Quinta exceptio eſt: Si minor uigintiquinq; annis ſine decreto iudicis hoc ius alteri ceſſerit. in fine lib.2.num.110.

IIII. Regula: *Creditore pignus cum pacto reuendendi uendente, debitori quoq; actio propoſita non denegabitur. in fine libri, num.91.*

V. Regula: *Duobus rem communem cum pacto reuendendi uendentibus: unus ſine altero experiri hac actione nõ prohibetur, & quidem in ſolidum. Quanquam hoc controuertitur §.1. gl.6. num.33. cum quinq; ſequentibus. Sed & pro parte retrahere uolens inuito emptore, exceptione uidetur repellendus. Quod & ipſum controuertitur d.gl.6. num.30. cum duobus ſequentibus: item apud Franciſ. Viuium lib.2.com.opinion.in uerbo Vendita re uni. de qua re uide item s̃.lib.prox.quæſt.9.reg.4. except.3. repl.1. Planè quamuis unus alteri omnia ſua bona, eo loco, ubi res uendita eſt, ſita, in diuiſione ceſſerit: tamen cedens hac actione experiri poteſt. d.gl.6.num.39.*

VI. Regula: *Si uenditor eiusq; cognatus cõcurrant, utroq; retrahere uolente, illo quidem ex pacto reuendendi, hoc autem ex iure municipali: uenditor cognato eſt præferendus. §.1. in fine, cum ſua gl.7. num.1. cum ſedecim ſequentibus. Cuius regula*

K

gulæ exceptio prima est: Si pactum reuendendi nō in continenti, sed ex interuallo contractui fuerit adiectum. d. gl. 7. num. 4. & num. 18. cum quatuor sequentibus. Huius replicatio uidetur esse: *Si uenditor rem ex pacto redemerit. Sed controuertitur, magisq; reprobatur d. gl. 7. num. 23.* Altera propositæ regulæ exceptio est: *Si uenditor non intra, sed post tempus, de quo in pacto conuenit, rem uelit retrahere.* Quæ exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio uidetur: *Si emptor uenditori tempus illud prorogauerit.* Quæ tamen replicatio controuertitur *d. gl. 7. num. 24. cum octodecim sequentibus.* Cuius replicationis controuersæ duplicatio est: *Si non intra, sed post prius tempus elapsum emptor illud prorogauerit. d. num. 24. cum sequente.* Terti. propositæ regulæ exceptio est: *Si non uenditor ipse, sed alius, cui uenditor ius suū cessit, rem retrahere uelit. hic enim cognatis uenditoris non est præferendus.* Quæ exceptio controuertitur quidem, sed magis approbatur *lib. 1. retractus. §. 26. gl. 3. num. 45.* Cuius replicatio est: *Si cognatus uenditoris cessionario non restituat precium, quod pro cessione soluit. d. gl. 3. num. ult.*

VI. ADVERSVS QVOS actio proposita competit?

I. Regula: *Aduersus emptoris quoque hæredes actio*

actio proposita competit. §.1.gl.6.num.27. Cuius exceptio prima uidetur: Si hæres minor sit uigintiquinq; annis. Sed reprobatur d gl.6.num.28. Altera exceptio uidetur: Si defunctus usumfructum rei alteri legauerit. hoc enim casu usufructuarius potius quàm hæres uidetur conueniendus. Quæ tamē exceptio reprobatur d.gl.6. num.29. Tertia exceptio est: Si emptor eiúsue hæres rem alienauerit. hoc enim casu possessor potius uidetur conueniendus. §.1.gl.7.num.3.& num.6. cum quinq; sequentibus: item num.14. cum tribus sequentibus. Contradicit tamen d gl.7.num.12. cū sequente. Sed & controuertitur exceptio hæc §.3. gl.1.num.1. cum octo sequentibus. Tandem magis approbatur quàm reprobatur d.gl 1.num.9.in fine. magis tamen reprobatur quàm approbatur apud Francisc. Viuium lib. 1. com. opin. in uerbo Vendens rem cum pacto. Quarta exceptio est: Si pro parte hæres in solidum conueniatur. Quæ exceptio controuertitur §.1.gl. 6.num.44. Eiusq; replicatio est: Si pro parte hæres rem in solidum poßideat. Quæ replicatio controuertitur etiam, magisq; approbatur d.gl.6. num. 41. cum duobus sequentibus.

II. *Regula: Etiam aduersus tertium possessorem uenditori oblato precio competit rei uendicatio. Quæ tamen regula ualde est controuersa, per ea quæ proposita sunt paulò superius reg. prox. exc.3.*

VII. VBI ET APVD QVEM iudicem hæc actio competat?

Apud iudicem domicilij ipsius rei conuenti hæc actio competit, non apud iudicem loci, in quo res est sita. §.4. gl.5. num.unico. Cuius exceptio uidetur: Si tertius possessor conueniatur. Quæ tamen exceptio cõtrouertitur d.num.unico. uers.an uerò etiam, cum sequentibus.

VIII. QVID, QVALE QVANTUMQ; ueniat in hac actione petendum?

I. Regula: *Res ipsa uenit restituenda, nec emptor liberatur præstando id quod actoris interest, per ea quæ dicta sunt s̄. quæst.4. except* 20.

II. Regula, *De fructibus.* Emptor *qui est in mora reuendendi, tenetur etiam ad fructus. §.4. gl.6. num.5. & §.5. gl.2. num.4. item gl.4. num.28.* Declaratur *regula hæc definitione moræ d.num.4. in fine.* Huius *regulæ exceptio prima est in hærede emptoris conuento, qui iustam habet ignorantiæ causam, si ei fides non fiat de pacto reuenditionis. d.num.5. cum duobus sequentibus.* Altera *exceptio est: Si ante oblationē & consignationem precij fructus à reo sint percepti. §.4. gl.6. num.4. & §.5. gl.2. num.1. cum duobus sequentibus: & num.6. Cuius replicatio prima uidetur: Si tempore uenditionis*

tionis fructus fuerint maturi, ut breui tēpore post uenditionem emptor fructus perceperit. Sed reprobatur d.§.5. gl.4.num.12. Altera replicatio est: Si fructus immaturos emptor perceperit. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d.gl.4. num.18. cum duobus sequentibus. Hæc de secunda exceptione. Tertia propositæ regulæ exceptio uidetur: Si ante litis contestationem fructus ab emptore sint percepti. Verùm exceptio hæc reprobatur §.5. gl.2. num.5. de qua uide item s̄. lib. prox. quæst.9.reg.1. except.3.repl.3. Quarta exceptio est: Si fructus sint pendentes, nondum ab emptore percepti. hi enim inter emptorem & uenditorem pro rata temporis sunt diuidendi. §.5.uers.sed si retrahens. Controuertitur tamen, magisq́; approbatur d.§.5.gl.4.num.1.cum octo sequentibus. Cuius exceptionis replicatio prima uidetur: Si emptor continuò post uenditionem integros percepit fructus, & eodem anno à uenditore oblatio fiat. hoc enim casu uidentur fructus pendentes soli uenditori relinquendi, non diuidendi. Sed replicatio hæc controuertitur, magisq́; reprobatur d.gl.4. num. 12.cum quinq; sequentibus. Altera replicatio uidetur in sylua cædua. Sed & hæc reprobatur d.gl. 4. num.31. Tertia replicatio est: Si emptor non sponte admisit uenditorem ad retrahendum, sed ad id fuit condemnatus, d.gl.4.num.ult. Hæc de quar-

ta exceptione. Quinta propositæ regulæ exceptio est: Si fundo ab emptore locato, dies pensionis tempore oblationis nondum uenerit, fructibus tamen à colono perceptis. hoc enim casu pensio debetur emptori, non uenditori. Secus si oblatio facta sit fructibus à colono nondum perceptis. d. gl. 4. num. 11. Sexta exceptio est in fructibus iurisdictionis, puta in mulctis & publicatione bonorum, delicto ante oblationem commisso. hi enim fructus, quamuis condemnatio nondum sit secuta, ad emptorem, non uenditorem pertinent. Quæ exceptio controuertitur quidẽ, sed magis approbatur d. gl. 4. num. 21. cum quatuor sequentibus. Quod magis dicendũ, si tempore oblationis condemnatio sit facta, quamuis nondũ secuta sit executio. d. gl. 4. num. 26. Quin imò si alicui mulcta sit indicta sub hac conditione, si intra annum aliquid committeret, isq; tale quid commiserit post oblationem à uenditore factam, dummodò intra annum statutum, nihilominus mulcta ad emptorem pertinet. d. gl. 4. num. 27. Quod etiam iuris est in laudemijs domino soluendis, uenditione sub conditione facta. nam etsi post oblationem conditio contractus extiterit, nihilominus laudemia emptori, non uenditori debentur: cum tempus contractus, non tempus existentis conditionis sit inspiciendum. d. num. 27. in fine. Septima exceptio est in fructibus ab emptore non perceptis.

Cuius replicatio est: Si dolo uel culpa emptoris factum sit, quo minus eos perceperit. hoc enim casu actori in id quod ipsius interest, tenetur. d.gl.4. num.29.cum sequente. Hæc de secunda regula.

III.Regula:Res talis reuendenda est,qualis est tempore retractus,non qualis fuit tempore contractus:nisi dolo emptoris deterior sit facta.§.7.gl.unica,num.ult.& in fine libri num.86.

IIII.Regula: Id quod rei uenditæ per alluuionem uel alio modo accesit,cum ipsa re uenditori restituendum. in fine libri num.92. cum quatuor sequentibus.

V.Regula:Thesaurus in fundo uendito repertus ante reuenditionem, communis est emptori & uenditori: ideoq; non nisi pro parte dimidia proposita actione peti potest.in fine libri,num.97.

VI.Regula:Si ius aliquod uenditori competens per uenditionem sit confusum in persona emptoris, hoc redempto prædio uenditori est restituendum. Quæ regula controuertitur, magisq; approbatur & exemplo declaratur in fine libri num.178.

VII. Regula: Si unus ex pluribus, quibus actio proposita competit, agat, utrum pro parte, an in solidum agere poßit, uide s̃. quæst.5. reg.5. Item, si unus ex pluribus conueniatur:utrum pro parte,an in solidum sit cõueniendus, uide s̃.quæst.4.except. 21.repl.1.item lib.prox.quæst.9.reg.4.except.4.

IX. QVANDO ET QVAMdiu competat actio proposita?

I. *Regula: Si pacto sit adiectum, ut post aliquod tempus uenditori rem retrahere liceret, ante illud tempus elapsum agens exceptione repellitur. §.1. gl. 2. num. 48. uers. & econtrariò. item num. ult. Vide item s. quæst. 1. reg. 2. except. 6.*

II. *Regula: Intra statutum tempus omni die licet uenditori rem redimere. Quæ regula controuertitur quidem, sed magis approbatur d. gl. 2. num. 67. cum sequente. Cuius exceptio est: Si ita enunciatio facta sit, ut duodecimo anno uēditori liceret redimere. tunc enim non nisi duodecimo anno potest redimere. d. gl. 2. num. 68.*

III. *Regula: Si actor intra legitimum tempus nō egerit, postea ex pacto reuenditionis agenti temporis præscriptio nocebit. Quæ regula est extra controuersiam. Tempus autem legitimum huius actionis est triginta annorum. §. 1. gl. 2. num. 1. cum sequente. Nisi aliud inter emptorem & uenditorem conuenerit. d. gl. 2. uers. intra autem tempus, cū sua gl. 2. num. 42. cum undecim sequentib. Sanè si conuenit inter contrahentes, ut ad tempus uenditori rem redimére liceret, nullo certo tempore expresso: tunc de decem annis hæc conuentio accipienda est, nisi consuetudo loci aliud tempus maius uel minus*

nus receperit.d.gl.2.num.4.cum sequente.Sed & si res ab emptore sit alienata, possessor præscriptione decem annorum inter præsentes, & uiginti inter absentes defenditur.d.gl.2.num.3. Planè *habet regula proposita suas etiam exceptiones, quarum prima hæc est: Si conuenerit,ut uenditor quandocunque uel quoties uoluerit, uel perpetuò, uel semper poßit rem oblato precio redimere, uel alio modo temporis præscriptioni ab emptore sit renunciatū. Quæ exceptio controuertitur d.gl.2.num.6. cum octodecim sequentibus:tandem tamen reprobatur d.gl.2.num.28.cum tribus sequentibus. item reprobatur apud* Francis. Viuium *lib.2.com.opin.in uerbo* Pactum *de retrouendendo. Sanè si tempus immemoriale uel cētum anni excesserint, magis uidetur retrahenti nocere temporis præscriptionem,exceptione proposita non obstante. Quanquam & hoc controuertitur d.gl.2.num.25. cum duobus sequentibus. Altera propositæ regulæ exceptio est: Si ex pacto redimendi non agatur, sed excipiatur. tunc enim temporis præscriptio isti exceptioni non obstat.d.gl.2.num.31.cum sequente. Tertia exceptio est: Si non simpliciter ex pacto redimendi agatur, sed etiam quòd contractus sit usurarius, uel aliâs illicitus ac reprobatus. d.gl.2.num.33. cū quinque sequentibus. Quarta exceptio est: Si ita emptor promiserit reuendere,* Toties quoties *huic fa-*

cultati præscriptum fuerit, uel quamdiu uenditor uiuet, aut alijs similibus uerbis: d.gl.2.num.39.cum sequente. Quinta exceptio est: Si temporis præscriptio ab emptore nõ fuerit opposita.d.gl.2.num. 41. Sexta exceptio est: Si res exiguo precio uendita sit. hoc enim casu uenditor etiam post tempus est audiendus. Quæ exceptio approbatur certo modo d.gl.2.num.55. Septima exceptio uidetur: Si tempus reuenditioni non à lege, neq; à contrahentibus, sed à iudice uel arbitro sit præstitutum. Quæ tamen exceptio reprobatur in fine libri, num.171. Octaua exceptio est: Si uenditor iustam habuerit causam, ob quam intra legitimum tempus non redemit, quæ in integrum restitutionem mereatur. Hæc exceptio controuertitur d.gl.2.num.56. cum quatuor sequentibus. Nona exceptio est: Si post tempus transactum emptor precium oblatum uel depositum accepit. d.gl.2.num.61. cum sequente. Cuius replicatio est: Si emptor ignorans tempus esse transactum, precium accepit. d.gl.2. num.63. Decima exceptio est: Si post tempus transactum emptor petijt sibi solui precium. d.gl.2. num.64. Vndecima exceptio uidetur: Si emptor uenditori dixit, se admissurum illum ad retractum quandocunq; uoluerit. Quæ tamen exceptio reprobatur d.gl.2. num.54. Sed & si post tempus transactum id uenditori dixit, tamen non perpetuò ex hoc obligatur,

ligatur, ſed uenditor debet intra modicum tempus precium offerre: alioquin temporis præſcriptione ſubmouebitur.d.gl.2.num.65. Duodecima exceptio eſt:*Si à die traditionis facta computatione,tem pus nondum ſit impletum. Quæ exceptio approba tur ſimul & diſtinguitur d.gl.2. num.66.* Decimatertia exceptio eſt: *Si tempus reuenditioni ſtatutum conſenſu emptoris ſit prorogatum.§.1.gl.7. num.32.* Cuius replicatio eſt: *Si minorennis, aut eius tutor, uel alius adminiſtrator emptoris,uenditori tempus prorogauerit.in fine libri,num.17.cum ſequente.* Decimaquarta exceptio uidetur:*Si culpa tutoris, uel alterius adminiſtratoris bonorum emptoris, intra tempus non ſit actum. Quæ exceptio controuertitur, magiſq; reprobatur in fine libri,num.20.*

X. ANTECEDENTIA ET adiuncta propoſitæ actionis.

I.Regula: *Actor rem ex pacto retracturus, precium reo debet offerre: alioquin exceptione ſubmouetur.§.4.gl.3.num.unico.*

II.Regula: *Non autem ſufficit precium offerre, ſed rectè offerendum eſt, ſecundũ ea quæ dicta ſunt ſ.lib.prox.quæſt.11.reg.4.in prin.* Rectè aũt *oblatum eſſe precium præſumitur,niſi contrarium probetur.* Probatio uerò *contrarij ſumitur ex circum-*

ſtantijs

ſtantijs oblationis, puta ex re oblata, ex perſona, & ex tempore oblationis, ex quibus exceptiones aduerſus oblationem ſumuntur, quas ordine recenſebimus. Sit igitur prima aduerſus oblationem & dictam præſumptionem exceptio hæc: Si non totum precium, de quo conuenit, oblatum ſit. d. §. 4. gl. 2. num. 1. Cuius replicatio prima eſt: Si nullum certum precium in pacto reuenditionis ſit expreſſum. tunc enim, utrum precium uenditionis, an iuſtum precium, an uerò id quo res alteri uẽdi poßit, offerri debeat, diſſeritur §. 1. gl. 3. num. 2. Altera replicatio uidetur: Si tantùm unus numus deſit. Sed reprobatur §. 4. gl. 6. num. 23. cum decem ſequentibus. Altera exceptio eſt: Si aliam monetam uenditor offerat, quàm accepit. Quæ exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur §. 4. gl. 2. num. 2. Tertia exceptio eſt: Si monetam non uſualem, reprobã, uel non legitimi ponderis offerat. d. num. 2. in fine. Quarta exceptio eſt: Si annuum reditum redimens, ſortem tantùm ſine reliquijs uel uſuris offerat. §. 4. gl. 4. num. 1. & §. 6. uerſ. unà cum reliquijs. Cuius replicatio eſt: Si dies uſurarum nondum ceßit. §. 5. uerſ. quorum dies ceßit. Quæ replicatio recipit duplicationem hanc, Quòd eius anni, quo ſors offertur, uſuræ pro rata temporis offerendæ, quamuis dies earum nondum ceſſerit. d. gl. 5. uerſ. ſed ſi retrahens, cum ſua gl. 3. num. unico. Quinta exceptio

eſt:

est: Si non id quod emptoris interest, offeratur. §. 4. gl. 4. num. 2. Sexta exceptio est: Si non impensæ legitimæ, quas in rem fecit emptor, offerantur. §. 6. in fine. de qua exceptione plura dicentur J. reg. 6. Septima exceptio est: Si non emptori, sed iudici oblatio sit facta. §. 4. gl. 1. num. unico. de qua exceptione cum similibus uide S. lib. prox. quæst. 11. reg. 4. except. 5. Postrema exceptio est: Si post tempus præstitutum oblatio sit facta. Quæ exceptio approbatur, declaratur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt S. quæst. prox. reg. 3. itē d. reg. 4. except. 19. Sed & plures propositæ præsumptionis exceptiones uide d. reg. 4.

III. *Regula: Si emptor oblatum precium recusauerit accipere, id à uenditore consignandum ac deponendum est. §. 4. uers. & consignare. Nisi ergo uenditor precium consignauerit ac deposuerit, dicendum est, illum exceptione submouendam esse. Quæ regula controuertitur quidem, sed magis approbatur d. §. 4. gl. 6. num. 1. cum tribus sequentibus. Declaratur definitione cōsignationis d. num. 1. in prin. Distinguitur in rustico, muliere & milite non consignante. Quæ distinctio controuertitur, magisq; reprobatur d. §. 4. gl. 7. num. 13. cum septē sequentibus.*

IIII. *Regula: Non autem sufficit actori consignare ac deponere precium, sed etiam requiritur,*

ut rectè id ab eo fiat. Proinde *si non totum preciū consignauerit ac deposuerit, exceptione submouetur, quamuis uel unus numus desit. de quo* s̄.reg.2. *except*.1. *est dictum*. Idem *dicendum, si non intra tempus reluitionis consignauerit ac deposuerit, sed post illud elapsum*. §.4. gl.6. num.36. Idem *etiam dicendum uidetur, si non apud iudicem, sed apud alium deposuerit*. Quod *tamen controuertitur, magisq; reprobatur* §.4. gl.7. num.1. *cum duobus sequentibus*. Sed *& si sine authoritate iudicis depositio sit facta, ea nullius censetur esse momenti*. d.gl.7. num.11. Quod *tamen non obtinet, si in loco publico depositum sit precium*. d.num.11. Cuius *occasione recenset author historias de depositionibus factis in sacris ædibus*. d. gloss.7. num.12.

V. *Regula*: Ad *officium quoq; actoris pertinet, ut reū intra tempus reluitionis faciat citari*. Quanquam *hoc controuertitur* §.4. gl.6. num.37. *cum duobus sequentibus*.

VI. *Regula*: *Præter pretiū & usuras, de quibus* s̄.reg.2. *dictum, etiam expensas, quas rei causa emptor fecit, uenditor restituere tenetur*. Quod *nisi fecerit, exceptione repellitur*. §.6. *in fine*: *item* §.7. *cum sua gl*.1. *num*.1. Impensæ *igitur seruitutum ab emptore adquisitarum sunt restituendæ*. d.§.6. gl 2. num.23. Itē *instrumenti uenditionis*. d.gl.2. num.24.

Item

Item quod uenditor reliquatus est, & ab emptore solutum. d.gl.2. num.21. Planè si impensæ non fuerint necessariæ, quamuis utiles, ad eas refundendas uenditor non tenetur. quod primæ exceptionis loco notandum. Quæ exceptio controuertitur simul & distinguitur §.7. cum sua gl. unica, num.1. cum duobus sequentibus. Potest tamen hoc casu emptor opus quod fecit tollere, dummodò id fiat sine detrimento rei retrahendæ, id est, ut res non sit deterior, quàm si ab initio impensæ factæ non essent. d.gl. unica, num.6. ubi hoc rursus distinguitur in hunc modum: Nisi actor tantum dare paratus sit, quantum habiturus esset emptor opere isto ablato. d.num.6. uers. nisi tamen. Altera propositæ regulæ exceptio uidetur: Si fructus ab emptore percepti æquent expensas. tūc enim cum fructibus uidentur compensandæ. Quæ tamen exceptio reprobatur d.gl. unica, num.4. Tertia exceptio est in expensis fructuum percipiendorum gratia factis. has enim emptor cū fructibus perceptis debet compensare. d.num.4. in fine. Cuius replicatio est: Si nulli aut exigui fructus ab emptore sint percepti. §.5. gl.4. num.10. Huius replicationis duplicatio uidetur: Si emptor primo anno, quo fundum accepit, fructus à uenditore satos percepit. Quæ tamen duplicatio reprobatur d.gl.4. num.17. Quarta exceptio est: Si impensæ adeò magnæ sint, ut si

uenditor

uenditor eas restituere cogeretur, re sua sit cariturus.§.7.gl.unica,num.5. Quinta exceptio uidetur: Si emptor rem restituit, expensarum exceptione non opposita. hoc enim casu ad eas repetendas uidetur actio ei deneganda. Quæ tamen exceptio reprobatur d.gl.unica, num.7. Sexta exceptio est: Si res impensis emptoris non sit facta melior, aut non in tantum, quantum est impensum. d.gl. unica, num.8. Quo casu res æstimanda est fructuũ respectu magis quàm ipsius rei. d.gl.unica, num.9. Cuius exceptionis replicatio est: Si impensæ sine culpa emptoris perierint.d.gl.unica,num.10. Septima exceptio uidetur: Si res, in quam impensum est, postea perierit. Sed exceptio hæc reprobatur d. num.10. in fine. Octaua exceptio est: Si cum in quasdam tantùm res impensum esset, uenditor oblato precio eas tantùm res, in quas nihil impensum est, sibi restitui petat, donec impensæ fuerint liquidæ. d.gl.unica, num.11. Cuius replicatio prima est: Si non tòtum precium à uenditore offeratur.d. gl.unica, num.12. in prin. Altera replicatio est: Si res sint connexæ, quæ separari ac dissolui non possint.d.num.12.uers.sed nec affirmo. Nona exceptio uidetur: Si impensæ non sint liquidæ,& uenditor offerat cautionem de ijs soluendis, si liquidæ fuerint factæ. Sed hæc exceptio reprobatur d.gl. unica, num.13. Decima exceptio uidetur: Si sententia

tentia in causa principali sit lata, nulla impensarum mētione facta, nec à reo exceptione opposita. Quæ tamen exceptio reprobatur, ita ut etiam aduersus executionem hæc exceptio impensarum poßit opponi, d.gl. unica, num. 14. Vndecima exceptio uidetur: Si nō emptor, qui impensas fecit, sed alius, cui emptor rem uendidit, impensarū exceptionem opposuerit. Sed reprobatur d.gl. unica, num. 15. Duodecima exceptio uidetur: Si impensis forma rei sit mutata, puta ex agro uinea facta. Sed reprobatur d.gl. unica, num. 16. Decimatertia exceptio uidetur: Si uenditor minus fuisset impensurus. Sed reprobatur certo modo d.gl. unica, num. 17. Decimaquarta exceptio est: Si proxenetis aliquid emptor dedit. ad hoc enim restituendum uenditor non tenetur. Quæ exceptio controuertitur §. 6. gl. 2. num. 22. Decimaquinta exceptio est in gabella soluta. Quæ tamen exceptio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl. 2. num. 1. cum sequente: & num. 16. Decimasexta exceptio est in collecta soluta. in fine libri, num. 85. Decimaseptima exceptio uidetur in laudemijs domino solutis. Sed reprobatur d.gl. 2. num. 3. Decimaoctaua exceptio est: Si indebitū quid soluerit emptor. d.num. 3. uers. si autem ea. Hæc de sexta regula cum suis exceptionibus sint dicta.

De probationibus ac præsumptionibus in hoc iudicio.

VII. Regula: *Pactum reuenditionis potest probari per duos testes. in fine libri, num. 62. Sed et per quæ alia probetur hoc pactum, demonstratur ibidem num. 63. Licet autem testes nihil de precio reuenditionis deponant, tamen pactũ probant. Quanquam hoc controuertitur in fine libri num. ult. Si uerò aliud deponãt testes, quàm actor in libello deduxit, fidem non merentur. §.1. gl.3. num.3. & in fine libri num.98. Nisi plus uel minus quàm deductũ est deponant: tunc enim probant. d. num.98. cum quatuor sequentibus. Idem dicendum, si procedatur sola facti ueritate inspecta. in fine libri num.103.*

VIII. Regula: *Si contractus principalis est simulatus, pactum quoq; adpositũ simulatum est censendum. in fine libri num.112. cum sequente.*

IX. Regula: *Scriptura priuata non probat tempus in præiudicium tertij. §.1. gl.7. num.43. cum quinq; sequentibus: item num.50. cum quatuor sequentibus. Sed in præiudiciũ scribentis probat non minus quàm publica scriptura. d. gl.7. num.49. Quod primæ exceptionis loco notandum. Cuius exceptionis replicatio est: Si sine die & cõsule scriptura sit concepta. Quæ replicatio controuertitur d. gl.7. num.50. cum duobus sequentibus. Altera*

exceptio

exceptio est: Si scriptura priuata tempore in ea cõprehenso uisa sit à uiris literatis. d.gl.7.num.55. cũ sequente. Tertia exceptio est: Si ex statuto priuata scriptura uim habeat publici instrumẽti. Quæ exceptio controuertitur, magisq; reprobatur d.gl. 7.num.57. Quarta exceptio est: Si priuata scriptura à tribus testibus sit subscripta. d.gl.7. num. 58. Quinta exceptio est: Si scriptura priuata duobus testibus & alijs indicijs adiuuetur. d.gl.7. num.59.

X.Regula: *Consignatio & depositio precij nõ probatur confeßione ipsius depositarij in præiudicium tertij, sed tantùm in præiudicium confitentis. Quæ regula còntrouertitur quidem, sed magis approbatur §.4. gl.6. num.8. cum nouem sequentib.*

XI.Regula: *Si ultra confeßionẽ depositarij constet depositum esse marsupium, in quo uenditor dixerat illud precium reuenditionis esse, nec tamen id numerarat: nec hóc sufficit ad probandum depositum in tertij præiudicium. Quæ etiam regula controuertitur, magisq; approbatur d.gl.6.num.18.cũ quatuor sequentibus.*

XI. EVENTVS ET CONsequentia propositæ actionis.

I.Regula: *Per actionem propositam in iudicium deductam res efficitur litigiosa, ut pendente iudicio*

non poßit alienari. Quæ regula cōtrouertitur quidem, sed magis approbatur in fine libri, num.173. item §.3.gl.1.num.2.

II.*Regula:*Ex *pacto de reuendendo,oblato precio emptori,ipso iure contractus uenditionis resoluitur,ut ad uenditorem dominium sine noua traditione redeat. Quæ regula controuertitur & distinguitur §.1.gl.7.num.3.cum aliquot sequentibus: itē in fine libri num.115. de qua re uide item* 5̄.*quæst.5. reg.6.item quæst.6.reg.1.except.3.* Hoc multò ma*gis dicendum uidetur, si uēditor oblato precio rem ab emptore recepit. Quanquam & hoc controuertitur in fine libri num.64.cum uiginti sequentibus.*

III.*Regula* : Res *ex pacto reuendendi recepta redit ad uenditorem libera ab emptoris obligationibus. Quæ regula controuertitur & distinguitur §.3.gl.1.num.10.cum decem sequentibus.*

IIII.*Regula:* Emptor *post reuenditionem manet in poßeßione rei,donec fructus perceperit. §.5. in fine,cum sua gl.5 & 6.*

V.*Regula:* Venditori *accedit tempus,quo poßedit emptor. in fine libri,num.93.uers.& facit. item num.114.cum sequēte.Quemadmodū contrà quoque emptori accedit tempus,quo poßedit uenditor. §.5. gl.6.num.unico.*

VI. *Regula:* Venditor *rem redimens non tenetur domino facere homagium, nec laudimia aut gabellam*

bellam tanquam ex noua uenditione soluere. in fine libri, num. 158. item §. 6. gl. 2. num. 16. in fine, cum quatuor sequentibus.

VII. Regula: *Vasallus uel emphyteuta rem ex pacto redimens non cadit feudo uel emphyteusi. Quæ regula controuertitur in fine libri, num. 155. cum duobus sequentibus.*

VIII. Regula: *Res à marito ex pacto reuendendi recepta nō fit communis marito & uxori. Quæ regula controuertitur in fine libri num. 164.*

IX. Regula: *Si emptor facultatem reuendendi redimat à uenditore constante matrimonio: tantùm illa facultas redempta ei & uxori fit communis, nō tota res. Quæ regula controuertitur in fine libri num. 165. cum quinq; sequentibus.*

X. Regula: *Si ius redimendi duobus competat, & unus ex ijs totum redemerit: hic alteri tenetur ad communicandū id quod redemit. §. 1. gl. 6. num. 37. uers. si non repudiet, cum num. sequente.*

XI. Regula: *Si annuo reditu cū pacto redimendi à pluribus uendito, unus ex ijs suam partem redemerit: hic pro alijs ad annuum reditum præstandum non tenetur. §. 1. gl. 6. num. 40.*

XII. Regula: *Hæres rem ex pacto redemptam fideicommissario cum reliqua hæreditate tenetur restituere. in fine libri, num. 87. cum sequente.*

XIII. Regula: *Si emptor usumfructum rei uendi-*

ditæ uenditori legauit, eiusq; fidei commisit, ut post mortem suam alij rem restitueret: redempta re à uenditore, fideicommissum extinguitur: sic tamē, ut fideicōmissarius precium, quo res redempta est, ab hæredibus emptoris petere non prohibeatur. in fine libri, num. 172.

XIIII. Regula: *Ius primogenituræ, quod hæres emptoris in re non redempta habuisset, durat re redempta in precio. in fine libri, num. 176.*

De precio deposito.

XV. Regula: *Sequestri munus necessitatis est, non uoluntatis. Quæ regula cōtrouertitur §. 4. gl. 7. num. 3. cum duobus sequentibus.*

XVI. Regula: *Si precium depositum casu perijt, quod emptor sine iusta causa accipere recusauit; ipsi emptori, non uenditori perijt. §. 4. gl. 6. num. 34.*

XVII. Regula: Depositarius *ad precium depositum restituendum ipsi deponenti actione præscriptis uerbis tenetur. §. 4. gl. 7. num. 4. uers. quam sententiam. item gl. 9. num. 1. Cuius exceptio prima est:* Si Princeps *à depositario istam pecuniam exegit & accepit. Quæ exceptio controuertitur d. gl. 6. num. 35. Altera exceptio est: Si iussu iudicis res litigiosa sit apud sequestrum deposita, tunc enim deponens rem repetere non potest, nisi lite finita & uicto aduersario, d. gl. 9. num. 2. Tertia exce-*

ptio

ptio est: Si consensu utriusque partis res litigiosa sit deposita. nam & hoc casu deponens eam repetere non potest, nisi lite finita, uel nisi per aduersarium steterit, quo minus finiatur, aut iudex repetendam decreuerit. d.gl.9. num.3. Quarta exceptio est: Si usurarius pecuniam deposuerit pro restituendis usuris. d.gl.9. num.4. Quinta exceptio est: Si depositum sit restitutum. Cuius replicatio est: Si alij, non domino sit restitutum: puta seruo, monacho uel filiofamiliâs. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicatio est: Si alius, cui restitutum est, id deposuerat. tunc enim ei reddi potest, etiam sine consensu domini. d.gl.9. num.5.

METHODI LIBRI SECVNdi de retractu conuentionali finis.

DIALOGVS DE ROMANA IVRISPRVdentia recuperanda.

INTERLOCVTORES.

Iuriſprudentia Romana, Iuſticia, Iuriſprudentia Mahometica, Vigelius.



IVRISPR. ROMANA: O' me miſeră, ô infœliciſsimă me, quæ de tanto faſtigio ſum deiecta. Olim dominabar Europæ, Aſiæ & Africæ, toti propemodum terrarum orbi: hodie uix oßibus hæreo, & ab omnibus propè gentibus deſpicior, cum ſoror mea Iuriſprudentia Mahometica per Aſiam & Africam florens, me de poſſeßione tantorum regnorum deiecerit. Adibo matrem Iuſticiam, eiq; hanc tam atrocem iniuriam, à ſorore mihi illatam, conquerar. Salue ô mater Iuſticia. IVSTICIA: Salue & tu mea filia. Quomodo ſe res habent tuæ? Videris ſolito triſtior. IVR. ROM. Triſticiæ meæ, ô mater, præcipua cauſa eſt ſoror mea Iuriſprudentia Mahometica, quæ me ſedibus expulit, & maximam partem meorum regnorum per uim occupauit. Si tibi, ô mater, aliqua Iuriſprudentiæ

tiæ Romanæ *cura est, obnixè rogo, ut illam sororis meæ insolentiam coërceas, meq; in pristinam regnorum meorum possessionem, de qua sum deiecta, facias restitui.* IVST. *Magnum est quod de sorore tua conquereris, ô filia: poterísne ista, si opus sit, probare?* IVR.ROM. *O mater mea, notoria sunt quæ adfero: regnaq; non solùm* Europæ, *sed etiam* Asiæ *&* Africæ *olim à me possessa, meq; ab ijs nunc deiectam esse, lippis notũ est atq; tonsoribus.* IVST. *Sed quid agunt armatæ militiæ uiri* Romani, *qui te in tua possessione non defenderunt?* IVR.ROM. *Illi de religione inter se decertant, mei exiguam habent curam. Dum de cœlo certant, terram amittunt.* IVST. *Audiam sororis tuæ ad tuam querelam responsum, ne se inauditam à me damnatam esse conqueri poßit.* En *lupus (quod aiunt) est in fabula.* Quid *noui adfers* Iurisprudentia Mahometica*? satisne salua omnia?* IVRISPR. MAHOMETICA: *Satis salua sunt omnia, mea mater. Viri armatæ militiæ me in magno habent honore propter te, ac ius fidemq; in moribus hominum summa ui tuentur, ipsiq; seruant sedulò.* Ideoq; *omnia mea regna pacata sunt atq; tranquilla.* IVST. *Agnoscisne sororem tuam* Iurisprudentiam Romanam? IVR. MAH. *Agnosco: sed eius apud nostros homines exigua est cura.* IVR.ROM. *Hoc tua culpa factum est scelesta, quæ me de possessione tantorum regnorum*

contra ius fasq; deiecisti. Rogo, ô mater Iustitia, per Deos hominesq;, ut te uindicem præbeas tantæ iniuriæ, mihi à sorore nequißima illatæ. IVR. MAH. Bona uerba quæso. Egóne te de possessione regnorum meorum deieci? IVR. ROM. Negare id audes impudentißima, quod lippis tonsoribusq; notum est? IVR. MAH. Nego constanter, ac protestor de tam atroci iniuria mihi à te facta. Ego hoc uel iureiurando affirmare ausim, ijs temporibus, quibus regna Asiæ & Africæ occupabam, nihil Romanæ Iurisprudentiæ in istis fuisse. Omnia oratorum opinionibus ac persuasionibus regebantur, contentionibus ac dißidijs omnia feruebant, nullum constans ius, de religione magna erat contentio, quæ tamen magis hominum sceleribus prætexebatur, quàm colebatur seriò: in summa, Eloquentia in istis regnis tunc temporis dominabatur, omni iurisprudentia explosa. Eloquentiam ijs in regnis de sua possessione deieci, Rebuspublicis rectè administrandis ineptam atque indignam. Quòd si ab ea tu quondam deiecta es (quod quidem uerisimile est) illa tibi potius accusanda est quàm ego. Sic enim tuus Iurisconsultus ait: Cum à te ui deiectus sum, si Titius eandem rem ui poßidere cœperit: non possum cum alio quàm tecum experiri interdicto. Sed quid de orientalibus regnis contendimus, quæ dudum præscripsi, Inspice occidentis regna, Quotusquisq; in

ijs

ijs eſt, qui uel prima iudicandi principia intelligat? Omnes fatentur, litis conteſtationem iudiciorum eſſe fundamentum: ſed quid litis conteſtatio ſit, & quomodo fiat, nemo eſt qui ſciat. Qualem autem Iuriſprudentiam in ijs regnis eſſe putas, ô mater Iuſtitia, in quibus ab ipſo iudiciorum fundamento erratur, nemoq; eſt qui prima iudicandi principia intelligit? Iuriſprudentia enim in iudicando magis quàm in diſputando conſiſtit. Eloquentia in iſtis regnis imperat, impudentiſsima meretrix, quæ ſe affectibus hominum accommodans, ius fidemq; in rebus humanis peruertit, leges flectit ac reflectit ad ſuum ipſius commodum: quia utile magis quàm honeſtum curat. faſcinat reges ac principes occidentis, quos inuicem committit, ſuaq; cõtentione omnia reddit incerta ac dubia, ut populus, quid ſibi credendum uel ſequendum ſit, ignoret: amat Academicam diſputandi licentiam, omne animi ſenſusq; iudicium aſpernata. Qua ſua leuitate omnia facit diſsidiorum plena, omnia turbulenta reddit, tumultusq; ac ſeditiones in populis excitat. Niſi igitur tu, ſoror mea, iure tuo uſa, tam ſceleſtam fœminam de ſolio deieceris, & priſtinam tuam poſſeſsionem regnorum occidentalium recuperaueris, ego armata mea militia perrumpam, & regna iſta, quemadmodum orientis regna, Eloquentia deiecta occupabo. Leges meæ armatæ ſunt, tuæ inermes.

IVST.

IVST. Quid ad hæc respondes, filia mea? quid taces? cur lachrymaris? IVR.ROM. O' mater mea, præ lachrymis nihil effari possum. quærã aduocatũ, qui causam meam agat. IVST. Quem aduocatũ quæres, cum omnes oratores (ut intelligo) habeas tibi aduersos? IVR. ROM. Vigelium quæram, qui mei causa multa est perpessus, & oratorum odium in se concitauit, ut omnia dicta factaq; eius captent, quo aliquam eum calumniandi ansam arripiant. IVST. Profectò nisi oratores sceleratè mali essent, non uiolarent nomen famamq; Vigelij, optimè de iure meriti. Sed eas, & aduocatum tuum adducas. IVR.ROM. Salue mi Vigeli. VIGELIVS: Salue & tu, domina mea charißima. IVR.ROM. Opus est mihi tuo patrocinio. VIG. Tibi, ô Domina, patrocinabor, quamdiu spiritus hos regit artus. Dic quæ est causa, in qua patrociniũ meum desideras. IVR. ROM. Conquesta sum apud matrem meam Iusticiam de iniuria mihi à sorore mea Iurisprudentia Mahometica illata, quòd me de regnis orientis deiecerit. Illa culpam à se in Eloquentiam transfert, à qua dicit me deiectam esse, quemadmodum ab eadem de regnis occidentis sim deiecta: minaturq;, nisi poßeßionem regnorum occidentis Eloquentiæ rursus eripiam, se armata sua militia eam deiecturam, regnaq; occidentis occupaturam esse. Suas enim leges dicit armatas, meas esse inermes. VIG.

Vereor,

Vereor, ô Domina, ne aduersaria tua istam suam exceptionem facilè sit probatura. Constat enim ex historijs, Eloquentiam orientis regna olim occupasse te deiecta, & inter eius alumnos (oratores puta) nõ satis conuenisse. Est enim contentiosum hominum genus. Vnde magna orientis dissipatio secuta est, iusq; ac iustitia ciuilis de medio sublata. qua occasione usa Mahometica Iurisprudentia, orientis regna occupauit, Eloquentia rursus ex ijs deiecta, & hoc modo pacem & tranquillitatem publicam istis regnis restituit. Constat item, oratores sua Eloquentia occidentis regna misere dissipasse, suisq; dissidijs ac contentionibus adhuc dissipare, ut nec pacis nec concordiæ recuperandæ ulla in ijs spes superfit, nisi uel tu, uel soror tua, illa explosa, possessionem regnorum ac Rerumpublicarum occidentis recuperauerit. nec falsò dixit soror tua, suas leges armatas esse, tuas inermes. Itaq; metuendum, ne tu unquam possessionem pristinam recuperes. Eloquentia enim omnes scholas, omnia iudicia, omnesq; occidentis aulas suis blanditijs occupauit, maioresq; uires adepta est, quàm ut tu eam ui deijcere queas. IVR. ROM. Quid igitur consilij das, mi alumne, ut miseræ mihi et afflictæ succurratur? VIG. In possessorio iudicio aduersus Mahometicam Iurisprudentiã nihil obtinebis. Eius enim exceptio tã in iure quàm in facto subsistit, nec qua replicatione queat elidi, animad-

animaduerto. In petitorio iudicio fortè aliquid obtinere posses, si nō longißimi temporis præscriptio tibi obstaret. Quanquam malæ fidei possessor nullo tempore præscribit. Attamē uereor, etiamsi in hoc iudicio obtineres, executionem tibi defuturam. Leges enim tuæ (ut aduersaria tua rectè dixit) ualde sunt inermes, quod multi boni uiri conqueruntur. Illud suaserim, ut omißis regnis orientis, in quibus recuperandis spes nulla tibi reliqua est, è regnis occidentis Eloquentiam, quoquo modo poßis, eijcere coneris, eáq; recuperare, priusquam soror tua Iurisprudentia Mahometica, cuius leges multum sunt armatæ, eiectis oratoribus ea ui occupauerit. IVR. ROM. Sed modum eius mihi monstra. VIG. Difficile quidem id, quod dixi, tibi futurum est: attamen scholis Iurisconsultorum rectè reformatis, nonnulla spes esset Eloquentiam deijciendi, ac posseßionem pristinam recuperandi. IVR. ROM. Quam reformationem mihi narras? VIG. Vt leges tuæ in scholis ordine doceantur ac discantur, ut tam doctrina iuris quàm exercitatio scholastica forensibus actionibus non deprauatis accommodetur, ut iuuentus de causis & controuersijs hominum certò & constanter potius iudicare, quàm perorando ac disputando litibus omnia miscere, adsuescat. Ita enim tandem futurum esset, ut Eloquentiæ fumus tanquam sole oborto euanesceret. IVR. ROM. Bene

ne mones,mi alumne:sed quis istam reformationem auspicabitur? VIG. Imperator cum statibus imperij Romani magnum adiumentum ad eam instituendam adferre possent, ac Germaniæ perpetuum decus conciliare. Sed uereor ne Eloquentia, quæ in ipsorum aulis multum potest, absterreantur, præsertim cum eius illecebris fascinati plurimum de religione inter se contendant, ut iuris ac iurisprudentiæ exiguam curam habere uideantur. Respublica Venetorum prudentem habet Senatum, qui non tam Eloquentia mouetur, quàm ducitur ratione, ac sedulò cogitat, quomodo Iurisprudentiam Mahometicam, quæ ceruicibus suorum imminet, prudenter excludat. Hic si intellexerit rationẽ tui recuperandæ, facilè tibi (nisi me coniectura fallit) manus porriget, ac quocunque poßit modo tibi subueniet. IVR.ROM. Rogo itaq;, mi alumne, ut Senatum Venetum accedas, proq; me intercedas, ac ei persuadeas, ut explosa è scholis suis Eloquentia, mihi afflictæ succurrat. VIG. Persuadere oratorum est: orator non sum. IVR.ROM. Oratores sua Eloquentia stultos mouent, non sapientes. Si sapit Senatus Venetus (ut intellexi) Eloquentia nunc huc, nunc illuc non mouebitur, sed prudenti tuo consilio obsequetur. VIG. Sed aliud adhuc obstat, quo minus tibi patrociniũ meum apud dictum Senatum sit profuturum. Itali homines Germanos pro barbaris habent,

*bent,nec illorum ineptias curant.*IVR.ROM.*Tenta saltem aliquid mei causa,mi alumne.* Nam *si prudens Senatus est,uti dixisti,non despiciet uel holitorem opportuna loquentem.Siquidem(ut in prouerbio est) Sæpe etiam est holitor ualde opportuna locutus.* VIG.*Ego tui gratia, mea* Domina, *nihil intentatum relinquam*. Adibo *itaq; Senatum* Venetum,*ut iubes, omnemq́; mouebo lapidem, quò pristinam authoritatem atq; possessionem recuperes.* IVR.ROM.*Eas bonis auibus,mi alumne.*Ego *interim ad matrem meã redeo, omnia ea quæ inter nos acta sunt,ei expositura.*

AMPLISSIMO, PRVDENTISsimoq́; Senatui Veneto Nicolaus Vigelius I.C.

S. P. D.

QVàm *misera sit iuris ac Iursprudentiæ* Romanæ *conditio,uos,ô* Patres *amplißimi ac prudentißimi,perspicere non dubito.* Notum *enim est lippis(quod aiunt)atq; tonsoribus,*Ius Romanum, *quod actionibus humanis ordinẽ præscribit, ipsum omni carere ordine. Vnde fit,ut cum in iudicijs excipiatur, replicetur, duplicetur, &c. nemo tamen in tanta legum confusione scire poßit, quæ cuiusq; iuris sint exceptiones, replicationes,duplicationes: cumq́; secundum ius* Romanum *controuersiæ hominum sint decidendæ, illud iurisconsultorum*

ſultorum uel oratorum potius ingenijs Academica diſputandi licentia adeò ſit deprauatum, ut ferè nihil in eo non uideatur eſſe controuerſum: cumq́; litis conteſtatio confeßione omnium ſit iudiciorum fundamentum, nemo tamen quid ſit litis conteſtatio, & quomodo lis ſit conteſtanda, ſciat: adeò in ipſo iudiciorum fundamento erratur, primaq́; iudicandi principia negantur ab ijs, qui paßim ſe pro Iuriſconſultis uenditant, & iudicandi munere funguntur. Hinc euenit, *ut in una cauſa ſæpe decem, interdum uiginti procedatur annis, quæ uel uno menſe expediri poſſet.* Replentur *litibus omnia tribunalia, audacia pro ſapientia eſt,* Eloquentia *pro Iuriſprudentia, hypocriſis pro iuſtitia, ſumma in iure dicendo incertitudo ac inconſtantia, res iudicatæ facilè retractantur aut executione carent, in legibus figendis ac refigēdis magna leuitas.* Hinc *omnis diſciplinæ diſſolutio ſequitur, ius fidesq́; in moribus hominum euaneſcit, ac ciuilis ſocietas collabitur, ut ipſa rerum natura in occidentalibus regnis aut* Iuriſprudentiæ Romanæ *reſtaurationem, aut* Mahometicæ *Iuriſprudentiæ propagationem uideatur efflagitare.* Ego *quidem homo priuatus* Romanæ *Iuriſprudentiæ reſtaurationem pro mea uirili iuui, leges canonesq́; cum controuerſis* Doctorum *opinionibus in certum ordinem ac* Methodum *redigendo.* Qua *ratione* Ius *utrunq; non ſolùm à ſua*

confusione, qua laborabat, liberasse, sed etiam ex infinito finitum reddidisse mihi uideor. Certā quoque de causis tam ordinarijs quàm extraordinarijs iudicandi rationem, antea incognitam, in lucem protuli, quaq; ratione iudex se ex controuerso iure extricare queat, ostendi: necnon in Repertorio *meo uiam monstraui facilem causas hominum incidentes ad suas actiones certis limitibus in iure descriptas examinandi. Institutiones deniq; ad usum fori non deprauatum accommodatas conscripsi, iuuentutē quasi per gradus ab imo ad summū ad solidam utriusq; iuris cognitionem deducens.* Nam *ex* In*stitutionibus, quæ primum gradum repræsentant, studiosos in* Repertorium *meum deduco, ex* Reper*torio in triplicem* Methodum *meam, uidelicet* Iuris *ciuilis, pontificij & controuersi.* Ex Methodo *iuris ciuilis eos postea deduco in uniuersum* Ius *ciuile certiore ordine legendum: quemadmodum ex* Metho*do iuris* Pontificij *in uniuersum ius* Pontificium, *necnon ex* Methodo *iuris controuersi in* Doctorū *opiniones ac disputationes.* Qua *uia si utantur, non tantum illis erit periculum, ne in iuris oceano, in quo multa præclara ingenia naufragium fecerunt, fluctibus nunc huc, nunc illuc impellantur ac oberrent: sed solidam utriusq;* Iuris *cognitionem sine magno labore consequentur, & reipsa experientur, artem* Iuris *ciuilis (quod* Cicero *scribit) magis magnam*

gnam atq; uberem, quàm difficilem & obscuram esse: necnon usum iuris uerum in causis hominum disputandis ac diiudicandis addiscent: ut non tam legulei uani, quàm iurisconsulti solidi euadant. Videor igitur afflictæ Romanæ iurisprudentiæ magnum adiumentum (quod sine arrogantia scriptum uolo) attulisse. Sed ea desiderat etiam curam magistratus publicam in scholis Iurisconsultorum rectè instituendis. Nam cum scholæ iudiciorum ac Rerumpublicarum sint quasi seminaria, ex quibus uiri moribus hominum regendis ac iuri dicendo idonei prodeant: plurimum Rerumpublicarum interest, quales sint scholæ, & quomodo institutæ. Inprimis autem hoc in scholis Iurisconsultorum desideratur, ut ius in ijs ordine iusto doceatur ac discatur, ut tam doctrina iuris quàm exercitatio scholastica forensibus actionibus non deprauatis, quarum causa ius in scholis docetur, sit accommodata. Alioquin istis neglectis, fit ut iuuenes è scholis ad forum progreßi, nec inueniendi causarum argumenta, nec iudicandi rationem rectam norint. Hinc ad lites in Rebuspublicis perorando ac disputando excitandas ac multiplicandas, quàm ad eas certò ac constanter iudicando determinandas ac finiendas, euadunt aptiores. Quæ res Rerumpublicarum pestis est præsentißima, & publicam magistratus curam ref[illegible]-mationemq; desiderat. Cum itaq; par[illegible]

ctæ Iurisprudentiæ Romanæ dudum susceperim, ac cogitarem, qui maximè magistratus ad dictam curam suscipiendam permoueri possent: uos, Patres amplißimi ac prudentißimi, potißimùm mihi uenistis in mentem: tum quia Iurisprudentia Romana ex Italia est oriunda, ideoq; ab Italis potißimùm eius recuperandæ cura suscipienda: tum quia Italia præstantißima habet ingenia, quæ à me in studijs iuris adiuuandis inchoata facilè ad perfectionem perducere queant: tum deniq;, quia Mahometica Iurisprudentia uestris regnis ac Rebuspublicis imminet, quæ commodius excludi non potest, quàm Romana Iurisprudẽtia restaurata. Hæc sunt, Patres amplißimi ac prudentißimi, quæ mihi spem faciunt non exiguam, uos mecum afflictæ Romanæ Iurisprudentiæ succursuros esse. Quibus addo & hoc, si aliqua gens in occidentalibus regnis emerserit, quæ omißis oratorum de religione contentionibus, afflictæ Romanæ Iurisprudentiæ succurrat, eamq; recuperet, istam gentem non minorẽ in occidentalibus regnis hominum fauorem sibi conciliaturam, ac quondam Saraceni in regnis orientalibus sunt consecuti. Nam omnes homines dissensionibus oratorum, quibus regna occidentis haud aliter ac olim orientis regna concutiuntur ac uastantur, pertæsi, ius certum finitumq; ac constans efflagitare uidentur. Vt igitur eo quo monstraui modo miseræ & afflictæ

afflictæ Iurisprudentiæ Romanæ succurratis, obnixè rogo obtestorq́; de genere humano optimè promerituri, uestræq́; genti perpetuam gloriam parituri. Valete.

ORATIO NICOLAI VIGELII IVRISCONSULTI de summo bono, habita Marpurgi XXIX die Iulij, Anno, &c. LXXXV. in promotione duorum Candidatorum Iuris.



E summo bono, seu hominis fine summo, eiusq́; fœlicitate, plures & uariæ fuerunt ueterum Philosophorũ *opiniones, etiam inter sese discrepantes, dum alij in uoluptate, alij in diuitijs, alij in honoribus, alij in uirtute, alij in rerum gestarum gloria, alij in alia re hominis fœlicitatem posuerunt.* Etsi *autem sacræ literæ summum hominis bonum seu finem summum in cognitione ac dilectione* Dei *ponunt: tamen præter illam aliud, si non summum, at saltem summo proximum bonum naturalis ratio nobis ostendit, à sacris etiam literis nõ alienũ. de quo cũ mihi ex hoc loco pro more huius Scholæ aliquid dicendum sit, nonnulla in medium adducam, quæ ad mores formandos & ad uitam re-*

ctè instituendam non erunt inutilia. Aristoteles in Ethicis summã hominis fœlicitatem in actione ponit, dum summum hominis finem definit actionem secundum uirtutem perfectam in uita perfecta. Et sanè si uerum fateri uolumus, uita nostra nihil aliud est quàm actio, militia seu certamen: quemadmodũ etiam in sacris literis nunc militia, nunc certamen appellatur. Nec enim ad ocium & ignauiam, neq; ad ludum & iocum nati sumus: sed quemadmodum auis ad uolandum, sic homo ad laborandũ est creatus. cumq; anima hominis in perpetuo sit motu, non est conueniens, rationem, qua homo à cæteris animantibus differt, & corpus ipsum, quod ab anima regitur, quiescere ac ociosum esse. Hinc etiam Salustius: Is demũ (inquit) mihi uiuere, atq; frui anima uidetur, qui alicui negocio intẽtus, præclari facinoris, aut artis bonæ famã quærit. Cõstat ergo, uitam hominis in actione consistere, & esse militiam seu certamen, quo alius alium superare, & uictoriam adipisci contendit. Vt autem cursu uel iaculis certantibus meta est proposita, imò omne certamen certum habet scopum, quò dirigatur: sic etiam uitæ hominis certa est constituta meta seu scopus, quò istius actiones sunt dirigendæ, ne in uanum laboretur: qui scopus quis sit, nunc est dicendum. Cicero quidem lib. 1. Officior. scribit: Principiò generi animantium omni à natura tributum esse, ut se, uitam corpusq;

In procemio coniurat. Catil.

corpusq́; tueatur, declinetq́; ea quæ ei nocitura uideantur, omniaq́; quæ ſint ad uiuendum neceſſaria inquirat & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia eiuſdem generis. Sed hæc cætera animantia ſine aliorum animantium ope conſequi poſſunt: homo autem ſine Dei & *aliorum hominum ope atq; beneficio ea conſequi non poteſt. Sic enim idem* Cicero *lib.2.* Off. Duo *(inquit) ſunt genera ratione utentium, quæ ad uitam tuendam pertinẽt: unum* Deorum, *alterum hominũ.* Deos *placatos pietas efficiet ac ſanctitas.* Proximè *autem & ſecundum* Deos *homines hominibus maximè utiles eſſe poſſunt.* Earumq́; *rerum, quæ noceant & obſint, eadem diuiſio eſt.* Nam *homines hominibus plurimum obeſſe arbitrantur.* Vnde *à ueteribus dictum:* Homo *homini* Deus. *item:* Homo *homini lupus. Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus & proſint & obſint: primùm hoc ſtatuo, eſſe uirtutis, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adiungere. Magna itaq; fœlicitatis pars homini in eo ſita eſt, ſi aliorum hominum ſtudium, fauorem ac beneuolentiam promereatur, ut ei non nocere, ſed prodeſſe, quæq́; ad uiuendum neceſſaria ſunt, ſuppeditare uelint. nec aberrare uidentur, qui putant, propter neceſsitatem uitæ (quòd ea quæ natura deſiderat, conſequi ſine alijs atq; efficere non poſſemus) initam eſſe cum ho-*

minibus communitatem & societatem. Vt igitur ea quae ad uiuendum necessaria sunt, homines nobis suppeditent, eò annitendum nobis est, ut quemadmodum alios nobis prodesse cupimus, sic nos uicissim alijs prosimus. Siquidem hoc ius naturae est (ut Cicero scribit) communes utilitates in medium adferre commutatione officiorum dando accipiendoq́; tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatem. Nec multum aberrasse uidentur Stoici, qui (ut idem Cicero scribit) existimarunt, quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari: homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possint. Cum itaq; uita nostra in actione consistat, sitq́; nihil aliud quàm militia seu certamen: scopus istius certaminis utilitas hominum esse debet, ut quantum in nobis est, prosimus quamplurimis, obsimus nemini. Hinc etiam Hesiodus ait: Aemulatur uicinum uicinus, qui ad diuitias properat: haec autem contentio bona est hominibus. Et quò quisq; altiori animo est, & ad uirtutem magis pronus, eò magis gestit alijs prodesse, & bene mereri de quamplurimis. Hinc Salustius de Iulio Caesare scribit in haec uerba: Caesar in animum induxerat laborare, uigilare, negocijs amicorum intendere, sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset. Et de Achille scribitur, cum interrogatus

li.1.Off.cap. De iusticia.

ibidem.

In coniurat. Catil. in comparatione Catonis & Caesaris.

tus

tus esset, quos labores omnium difficillimos sustinuisset, eum respondisse, Susceptos pro amicis: & cum rursus interrogaretur, quos sustinuisset iucundissimos labores, eosdem respondisse: quasi ad hoc natus esset, ut suis laboribus alijs prodesset. Et *sanè maximè in hac uita beati censentur ij, qui maximè sua industria, laboribus uel facultatibus quàm plurimis prosunt: quoniam his rursus homines omnem operam, studium & obsequium impendunt, beneuolentia prosequuntur, diuitijs deniq; atq; honoribus augent.* Hinc *etiam prudenter adolescentiam transegisse censentur ij, qui eas artes didicerunt, quibus plurimum hominibus prodesse queãt: nam his uicissim homines plurimum prosunt, opibus & dignitatibus eos augendo.* Contrà uerò, qui *nihil tale in iuuentute sua didicerunt, contemptui sunt omnibus, & cum nemini prodesse possint, nec quisquam illis prodest: unde cum paupertate simul & infamia per omnem uitam luctantur,* Proci Penelopes *fruges consumere nati.* Quemadmodum ergo *ignis summus finis est quammaximè calidum et siccum, aquæ contrà quammaximè frigidam ac humidam esse: sic hominis finis summus esse uidetur, quamplurimis hominibus prodesse, obesse quãtum fieri potest nemini.* Quæ *sententia etiam à sacris literis non est aliena.* Nam Christus *saluator noster interrogatus, quod esset summum legis præce-* Matth. cap. 22. in fine.

ptum, non tantùm respondit: Diliges Dominum Deum *tuum ex toto corde tuo, & in toto anima tua, & in tota mente tua. hoc esse primum & magnum mandatum. sed adiecit etiam: Secundum autem simile est huic:* Diliges *proximum tuum perinde atq; teipsum.* In *his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Quasi diceret Christus:* Non *solùm dilectio* Dei,*sed etiam dilectio proximi summa lex est, aut saltem summæ legi similis.* Per *dilectionem uerò proximi nihil aliud significari uidetur; quàm quod Christus* Matth.7. *præcipit in hæc uerba:* Omnia *quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines,sic & uos facite illis. pro ratione subijciens:* Hæc *enim est lex & prophetæ.* Ma*net ergo sententia firma, summum hominis finem, seu summum,aut saltem summo proximum bonum esse,aliorum hominum utilitatem:eosq; uerè in hac uita esse fœlices, qui quamplurimis prosunt.* Nec *obstat,quòd alij in diuitijs, alij in honoribus,alij in uoluptate, alij in alijs bonis fœlicitatem hominis posuerint.* Nam *cum fœlicitas hominis(ut ab initio est ostensum) in actione, militia seu certamine consistat,cuius scopus sit hominũ utilitas: reliqua bona nõ possunt esse finis seu terminus hominis,sed uictoriæ potius præmia,quæ à scopo sunt diuersa.*Nã *ea sunt ad labores & certamen incitamenta, quæ ultrò consequuntur, si quis finem seu scopum fuerit assecutus.*

assecutus. Quod uel ex eo conijci potest. Quemadmodum enim in alio certamine non ij consequuntur uictoriæ præmia, qui magis ad præmia quàm ad scopum sunt intenti: sic qui ad uoluptatem magis, quàm ut alijs prosint, in hac uita sunt intenti, minus uoluptatem consequuntur: & qui ad gloriam magis, minus eam adipiscuntur. Contrà uerò, qui scopo intenti minus ista curant, magis ista consequuntur. Vnde Salustius de Catone: Quo minus (inquit) gloriam petebat, eò magis illam assequebatur. & apud Liuium legitur: Gloriam qui spreuerit, ueram habebit. Ad quem etiam modum Erasmus in Philodoxo suo scribit, Præcipuam uirtutem ei qui ad gloriam aspiret, esse negligere gloriam: & summam laudem esse, non ambire laudem, quæ magis sequitur fugientẽ: quoq; impensius ista ambiuntur, hoc magis frustrantur. Ad benefacta ergo properandum, nõ ad gloriam & alia uirtutis præmia, quæ uirtutem ultrò consequuntur. Siquidem ij, in quos beneficia conferuntur, naturaliter ad remunerandũ obligantur, iusq; naturæ uiolant, si beneficienti sint ingrati. Vnde ingratitudo non immeritò uitiorum dicitur pessimum. Huc etiam alludere uidetur Papinianus Iurisconsultus, dum ait: Beneficio affici hominem, interest hominis. Quanquam etiam ipsa actio, qua alijs prodesse nitimur, per se iucunda est, nec uoluptate caret. Quod etiam Aristoteles

In d. comparat. Catonis & Cæsaris.

l. 6. §. fin. ff. de seruis exportandis.

stoteles

stoteles in Ethicis confirmat, dum ait, Virtutem sine uoluptate non esse uirtutem. Nec est minima foelicitas, bona conscientia frui. Vnde Socrates bibiturus cicutam dixit Critoni: An opera nostra sit probaturus Deus, nescio. Certè sedulò conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quòd ille conatus nostros sit boni consulturus. Ex his apparet, nos natos esse non ad ocium & ignauiam, non ad ludum & iocum, sed ad labores & ad certamen: summamq; hominis fœlicitatem, seu summum uel saltem summo proximum bonum nihil aliud esse quàm actionem, militiam seu certamen, cui utilitas aliorum hominum, tanquam scopus seu meta, quò tendat, sit proposita. quam metam qui fuerint consecuti, eos in summa fœlicitate uersari: contrà qui nihil agant, neminiq; prosint, eos omnium esse infœlicißimos. In hoc autem certamine & uitæ curriculo, ut in alijs certaminibus accidere solet, ij qui uirtuti suæ diffidunt, aliorum uirtuti inuident, eosq; supplantare, alióue modo impedire conantur, quo minus ad metam perueniant, uel ipsi ijs præcurrant. Quod uitium ex eo maximè oritur, quia magis ad præmia uirtutis, quàm ad ipsam uirtutem seu scopum certaminis, sunt intenti. Vnde Salustius: Ambitio (inquit) multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasq;

In coniurat. Catilinæ, circa principiū.

non

non ex re, sed ex commodo æstimare, magisq; uultum quàm ingeniū bonum habere. Idem Salustius: **ibidem.** *Gloriam (inquit) honorē, imperium, bonus et ignauus æquè sibi expetunt. sed ille uera nititur uia: huic quia bonæ artes desunt, dolis atq; fallacijs contendit.* Ex eo igitur, quòd homines scopum uitæ humanæ in suis actionibus non attendunt, uel uirtuti suæ diffidunt, omnia uitiorum genera nascuntur, falsum, furta, rapinæ, adulteria, stupra, calumniæ, &c. ut quia licitis modis uirtutis præmia, nempe diuitias, honores, gloriam, uoluptatem, &c. consequi non possunt, illicitis modis ea captent. Quare ab incunte ætate pueri, adolescentes & iuuenes sedulò sunt admonendi eius, quò omnis illorum uita sit dirigenda, scilicet ad Dei agnitionem, & aliorum hominum utilitatem, ut eas artes addiscere uelint, quibus alijs aliquando queant prodesse, & hominum animos sibi conciliare: ad hoc enim eos natos esse, ut alijs prosint, & sic hominum beneuolentiā demereantur, neq; inutilia terræ pondera euadant.

Cum autem plura & uaria sint genera militiarum seu functionum, quibus alij alijs prodesse possint, plurimum interest, cui generi quis se dedat, quodq; uitæ genus sectetur: siquidem in uno maior fœlicitas est quàm in alio. Illud tamen uitæ genus maximè sequendum, quod cuiusq; naturæ primùm, deinde etiam ipsius fortunæ maximè congruit. Nam

in

in ea re quisq; fortunatus est, ad quam est natus, seu ad quam natura eius inclinat. Contrà parum succedit, quod inuita Minerua iratoq; genio tentat. Proinde in genere uitæ deligendo quisq; naturam suam explorare debet, & animaduertere, ad quæ studia, quásue functiones, quódue genus uitæ maximè sit idoneus. Hoc indicat in nobis arcanus quidam animi sensus, quo à quibusdam abhorremus nulla euidente causa, ad quædam item animi impetu rapimur. Hinc est quòd alius fœliciter rem tractat militarem, alius dexter est in negocijs politicis, alium dicas ad studia natum. Quanquam & in his mira uarietas, nimirum tanta, quanta est functionum diuersitas. Vnde & Cicero præcipit in deligendo uitæ genere, quoniam ad id maximam uim natura habeat, fortuna proximã, utriusq; tã naturæ quàm fortunæ rationem habendam, sed naturæ magis. Est tamen in institutione & educatione non leue ad fœlicitatem momentum. Siquidem multi, quamuis optima præditi sint natura, nec fortuna destituantur, institutione tamen frustrantur: dum præceptores doctrinam magis ad sui ingenij ostentationem, quàm ad profectum studiosórum dirigunt: uel longis ambagibus discipulos morantur, & serò eò perducunt, quò breuiore uia ducti citius & minori labore peruenire potuerant: uel dum non necessaria iuuentuti inculcant, faciunt ut necessaria ignorent.

li.1.Off. cap. constituendũ genus.

Vnde

Vnde Cicero lib. 3. De oratore: Ista (inquit) discuntur facilè, si & tantum sumas, quantum opus sit, & habeas qui docere fideliter poßit, & scias etiam ipse discere: Sed istis omißis, breuiter enumerabimus genera artium, scientiarum ac functionum, quibus hominibus prodesse, sicq; fœliciter in hac uita uiuere poßimus. Earum aliæ priuatæ sunt, aliæ publicæ. Priuatarum (ut Cicero scribit) aliæ liberales sunt, aliæ sordidæ. Sordidæ sunt portitorum, fœneratorum, & mercenariorum omnium functiones, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Est enim in illis ipsa merces auctoramentum seruitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus quod statim uendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec uerò quidquam est turpius uanitate. Opificesq; omnes in sordida arte uersantur: minimeq; artes probandæ, quæ ministræ sunt uoluptatum, cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores, unguentarij, saltatores, totusq; ludus talarius. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina; ut architectura, ut doctrina artium honestarum, hæ sunt his, quorum ordini conueniunt, honestæ. Mercatura, si tenuis est, sordida putanda: sin magna & copiosa, multa undiq; apportans, multisq; sine uanitate impartiens, non est admodum uituperanda. Omnium autem rerum, ex quibus ali-

quid

quid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Hæc de priuatis functionibus seu militijs ex Cicerone protulimus. Maior autem dignitas est in militijs publicis, quibus non tam singulis quàm uniuersæ Reipublicæ commodamus. Ideoq; quanto publica priuatis sunt præstantiora, tanto maior fœlicitas est in his quàm in illis. Est autem publica functio seu militia aut armata, aut togata. Quanquam utriq; deseruit functio quæstoria, quæ in quærendis, administrandis & erogandis pecunijs publicis consistit. Armatæ & togatæ militiæ comparationem Cicero lib. 1. Officiorum instituit, togatam armatæ præferens. Non tamen destituenda est sua laude armata militia, cuius beneficio in pace & ocio uiuimus, quaq; non solùm patria aduersus hostes defenditur, sed etiam rebellantes legibus ad officium & obedientiam coguntur. Nec enim leges decet esse inermes: frustraq; iudicia de rebus iustis fierent, si non per armatam militiam ad executionem perducerentur. In hac autem militia alia ducum, alia militum sunt officia, quæ nobis in titulis De re militari describuntur. Togata militia diuiditur in ecclesiasticam & ciuilem. Illa diuinis, hæc humanis rebus præest. & quod in ecclesia est uerbum Dei, hoc in ciuili Republica Ius est: quorum utroq; sublato, & Ecclesia & Respublica non potest

test esse diuturna. Quia uerò in Ecclesijs multæ solent esse contentiones atq; dißidia, ciuilis militiæ uiris seu magistratibus politicis incumbit prospicere, ne Respublica *quid detrimenti inde capiat. Cum enim* Respublica Ecclesiæ *hospitium sit, absurdum uidetur,* Ecclesiam *ita tueri, ut inde* Respublica *intereat: hoc enim esset ius hospitij uiolare. Violatur autem ac interit* Respublica, *si magistratus politici unam sectam fouendo, alteram opprimere conantur. Hinc enim bella ciuilia oriuntur, & Respublica in medio constituta negligitur, ac neglecta euertitur. Quam rem melius fuisset ex* Cicerone *discere, quàm tot cladibus & bellorum tumultibus experiri. Sic enim* Cicero: Omnino *(inquit) qui* Reipu- lib.1.Off.
blicæ præfuturi sunt, duo Platonis *præcepta teneant. Vnum, ut utilitatem ciuium sic tueantur, ut quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus* Reipublicæ *curent: ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.* Nam *qui parti ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosißimam in ciuitatem inducunt, seditionem atque discordiam. Hinc apud* Athenienses *magnæ discordiæ ortæ: in nostra* Republica *non solùm seditiones, sed etiam pestifera bella ciuilia. Quæ grauis & fortis ciuis in* Rep*ubl. dignus principatu fugiet atque oderit, tradetq; se totum* Reipublicæ. *Hæc* Cicero. *Hoc au-*

tem præceptum olim Athenienses *secuti, sectas* Phi*losophorum inter se diuersißimas in sua* Republi*ca fouerunt*, Stoicos, Epicureos, Academicos, Cy*nicos,&c. liberum cuiq; relinquentes, cui uelit se*ctæ *adhærendi*. Hanc *etiam rationem* Turcæ *hodie in suo regno administrando obseruant, quemadmodum & olim ueteres* Romani *eam obseruarunt*. Quinimò Pontifices *quoq;* Romani, *cum uiderent oratores ecclesiasticos inter se nō satis conuenire, aliosq; alias regulas ad uitam æternam consequendam præscribere (nam hic est mos oratorum, ut leges dare, non accipere uelint) fouerunt omnes illorum sectas, sic tamen, ut pacem inter se colerent, nec Rempublicam* Ecclesiasticam *suis dißidijs conturbarent*. Hinc *tot sectæ monachorum & clericorum, quas* Ordines *uocant, profluxerunt: attamen* Respublica *ecclesiastica mansit inconcussa. Cum autem nullæ sectæ adeò inter se dissideāt, quàm* Iudæi *&* Christiani, *magistratus tamē politici utranque in suis* Rebuspublicis *fouent: at cum inter* Christianos *aliquod oritur dißidium, summa ui unam partem defendere, alteram extirpare conantur. Quæ res multarum seditionum ac turbarum causa est, nec unquam pax constans inter* Christianos *speranda, quamdiu magistratus politici hoc more utuntur.* Porrò *ciuilis quoque militia publica non est unius generis*. Nam *ea partim in*

publicis

publicis consilijs, partim in iure dicendo consistit. Consilia publica magis prudentiam quàm eloquentiam desiderant, in quibus non solùm utilitatis publicæ, sed etiam honestatis ratio est habenda. Cuius elegans exemplum de Atheniensibus memoratur, quibus cum Themistocles in concione dixisset, se reperisse consilium, quod summoperè ad dignitatem Atheniensium pertineret, sed id eius esse generis, ut proferri non expediret: populus Atheniensis censuit, ut uni Aristidi indicaret, si is probaret, probaturos omnes. Cum igitur Themistocles indicasset Aristidi, se de incendenda Græcorum nauali statione cogitare: sic enim fore, ut Athenienses toti Græciæ dominarentur: Aristides ad populum prodiens dixit, Themistoclis consilio nihil esse utilius, sed eodem nihil inhonestius. Hac audita uoce, populus uetuit, ne super ea re in posterum uerba faceret Themistocles: & sic populus Atheniensis utilitatem cum turpitudine coniunctam repudiauit, probans in hac re ueterum Stoicorum sententiam: Nihil utile, quod non item sit honestum: & improbans illud Euripidis: Si ius uiolandum est, regnandi gratia uiolandum est: in cæteris pietatem colas. Non minor autem utilitas ex iure dicendo, quàm ex consultationibus publicis humano generi cōtingit, quæ militia Iurisdictio appellatur, ac distribuitur in duas partes, uidelicet in iudicium, & iudicati exe-

Eras. in Apophteg. in Aristide.

ti executionem. Non enim rectè fit executio, nisi præcesserit iudicium: estq; omne iudicium inane, quod executione caret. Quemadmodum autem executio manum desiderat militarem, sic iudicium requirit Iurisprudentiam: qua destituta, iurisdictio in tyrannidem degenerat, subditosq;, quos Iurisprudentia & consilio regere nescit, ui & crudelitate opprimit, atque ex libertate redigit in seruitutem. Quare non possunt non bene mereri tum de hominibus singulis, tum de Republica uniuersa, qui Iurisprudentia instructi, de causis & controuersijs hominum iudicant, litesq; ex bono & æquo dirimunt, quo pax & concordia cum libertate in populo retineatur. Quanquam Iurisprudentiæ usus non solùm in dijudicandis hominum controuersijs cõsistit, sed etiam in cauẽdo, consulendo, argumentaq; tum ad agendas, tum ad defendendas in foro causas suppeditãdo. de quo Cicero: In iure (inquit) cauere, cõsilio iuuare, atq; hoc scientiæ genere prodesse quamplurimis, uehemẽter & ad opes augendas pertinent, & ad gratiam. Itaq; cùm multa præclara maiorum, tum quàm optimè constituti iuris ciuilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem in possessione sua Principes retinuerunt. Non igitur minima fœlicitatis pars est, Iurisprudentia hominibus prodesse. Hanc affectantes præsentes duo Candidati, Amandus Rudenscheidt

li.2.Off.cap. Quæ autem opera.

denſcheidt Cliuenſis, & Henricus Vlnerus Marpurgenſis, adoleſcentiã ſuam totam in Iuris ſtudio conſumpſerunt, tantosq; in eo progreſſus fecerunt, ut ad ſummum in Iure gradum, quem Doctoratũ appellãt, adſpirauerint, ſeq; iudicio huius inclytæ Vniuerſitatis ſubiecerint, memores l. magiſtros. 7. C. de profeſſoribus et medicis: qua cauetur, neminem ad docendi & profitendi munus proſilire debere, niſi iudicio ordinis probatus decretum curialium mereatur, optimorum conſenſu conſpirante. Quare profeſſores huius inclytæ Vniuerſitatis, poſt diſputationes publicas, & examina tum priuata tum publica, hos duos Iuris Candidatos ſummo Doctoratus gradu, ſuo decreto interpoſito, dignos iudicarunt, mihiq; hoc oneris impoſuerunt, ut eos publicè in Doctores utriuſq; Iuris proclamarem. Verùm antequam hoc fiat, ne mutas perſonas in hoc theatrum produxiſſe uidear, ſpecimen eruditionis ſuæ publicè exhibebunt.

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA
OPORINIANA, PER HIERONYMUM
GEMUSAEUM, ET BALTHASARUM
HAN, Anno Salutis humanæ M. D.
LXXXVI. menſe Fe-
bruario.

